Frydrychowicz Dominici: Sacrosanctum SS. Trinitatis Mysterium —

SA
D. T
Quin
ASSE
ILLVS
D.
Episcopi
thedra
ILLV
D.
S
Dei &
Suff

Anno
CRACO

SACROSANCTVM SS. TRINITATIS MYSTERIVM.

à Præceptore Angelico
D. THOMA AQVINATE
Quinto Ecclesiæ Doctore in Prima Parte
Summæ Thæologicæ.

ASSERTVM, DEFENSATVM, EXPLICATVM.
Ex Vastissimis Theologicis Disputationibus.
ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI
D. PETRI DE GODOY.
Episcopi Oxomensis, Salmaticensis Vniuersitatis Cancellarij, Primariæq; Cathedræ in eadem Moderatoris, Serenissimi Hispaniarũ Regis Ordinarij Concionatoris, Prædicatorum Ordinis.

COLLECTVM.
ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO:
D. STANISLAO
à SŁVPOW
SZEMBEK,
Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopo Dionysiensi, Suffraganeo, Canonico, Vicario in Spiritualibus & Officiali Generali Cracouiensi &c. &c.

Debitæ Gratulationis ergo Kalendis Ianuarij.
Publicâ Mediante Disputatione.
CONSIGNATVM.
Anno ab explicita Summæ Triadis per Verbum Incarnatum manifestatione.
M. DC. IC. I.

CRACOVIÆ Sup: Per: Typ: NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S. R. M. Ord. Typogr.


VIRT
ECCLESIÆ
PATRIÆ



ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME D.

D. AC PATRONE COLENDISSIME.

AD noui anni felix faustumq; exordium *ILLVSTRISSIMÆ* ac *REVERENDISSIMÆ Præsuleæ Dignitati Tuæ*, cælestem defero strenam, dum de supersubstantiali Sanctissimæ *TRINITATIS* Arcano, Theologicũ præsento Tractatũ. Strena (antiquitatũ memoratissimo attestante Festo) à Trino munerum numero deducitur: & præsens Theologica, ab ipso Ineffabilis *TRIADIS* fonte originatur. Porro Inclytum Schonbegkouianæ Virtutis Stemma, Trino gaudet numero, dum Aquilarum Alis, Ibicum proprietate, ac Rosarum odore, exornatur. Aquilarum Alis *NVLLA VIA INVIA.* Ibicum motu *NVLLVS VELOCIOR CVRSVS.* Rosis odoriferis *NVLLVS ODORE PRÆSTANTIOR.* En Summæ *TRIADIS* Mysterium. In Aquilarum Alis Æterni Patris declaratur Omnipotentia, cui *OMNIA PERVIA*, nec est qui posset effugere Voluntatẽ eius. In Ibicum motu, Filius Dei manifestatur, qui similis Capreæ hinnuloq; Ceruorum, è sinu Æterni Patris, in Virginis Immaculatissimæ Sinum Velocissimè pro Salute nostra festinauit. In Rosarum odore figuratur Spiritus Sanctus, qui cælestium charismatum abundantiã Vniuersam replens Ecclesiam, purpureas in Martyribus, candidas in Virginibus producit Rosas. Cælestia hæc, non terrestria sunt munera, à Trino Increato exemplata numero, cuius Sacro sub ænigmate, ad Verticem Gloriæ euolauit Auratus Miles *HENRICVS* de *SCHOBEGK* qui numeroso stipatum Exercitu *RVPRECHTVM REGEM* Apuliæ, Coronationẽ *HENRICI VII* Imperatoris Romanorum impedientem, gloriosè fregit, à Romano Capitolio Victor hostes pepulit, Coronationis Imperialis *PATER*, *S.P.Q.R.* Libertatis Defensor acclamatus. Refulsit Inclytus sub hoc eodem Sacro numero in Virtutis cursu *PETRVS* de *SCHONBEGK* qui *MAXIMILIANVM* Imperatorem, intra Venandum ab Ibici-

bus

bus oppressum, ex euidenti mortis periculo eliberans, Maximam in Vno MAXIMILIANO Pacē, Publicāq; salutē Vniuerso Christianorum Orbi conseruáuit. Odore Rosarum trino, ipsâ clarior famâ euasit FRIDERICVS de SCHONBEGK qui non parcens suæ Personæ ac Substantiæ, contra BALCONEM Zeganensem Principem, Auxiliaribus Copiis CAROLVM IV Imperatorem Romanorum defendendo, publico in Martis theatro, purpureū Rosis adiecit colorē Victor odoriferus. Sáne ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME Præsul, Inclytum SCHONBEGKOVIANVM Stemma in Te Vnico Tuorum Antecessorum trini muneris collegit adunauitq; numerum. Pietatis vltra Aquilinas Tibi adaptasti Alas, vt ad Culmen Dionysiensis Præsulatûs euolares. Cursum Ibicum æmulatus es, vt extra maturám adhuc positus ætatem, maturâ refulgeres Prudentiâ, Iudicio, ac Supremi Tribunalis Regni Sententiâ irrefragabili, nunc Ecclesiæ, nunc Innocentiæ accellerando salutem. Rosarum ODORE ac DECORE omnibus es gratissimus, Comitatis, Affabilitatis; Ingenuæq; Humanitatis præseferens suauitatem. Quocirca hæc trina munera (quia Tua sunt) iam ter trecentis possessa annis, trino Rosarum redolentia flore, trino Ibicum coadunata numero, trium Romanorum Imperatorum incrementis illustrata, (ast quòd maximum censeo) ænigmatico Immensæ TRIADIS insignita honore, Inclytæ SCHONBEGKOVIANÆ donata Virtuti ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME Præsul, Tuâ Sacrâ suscipe manu: Deus Ter Optimus Maximus Tuarū Alarū Volatui perpetuā desuper Benedictionem, Tuorum Ibicum cursui stabilem prosperitatem, Tuarum Rosarum thymiamati, ODORIS ac DECORIS immarcescibilem vigorem, semper munificentissimè concedere dignetur. Seruet Te Natus Saluator quàm diutissimè incolumem, instaurandæ pietati, fouendis literis, & mihi. Ita Exopto, ita Voueo, ita Exoro, ita Subscribo.

TVÆ ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ DIGNITATIS.

Exorator humillimus.

Fr. DOMINICVS FRYDRYCHOWICZ S. T. D.
Studij Generalis Regens, Ordinis Prædicatorum.

SACROSANCTVM SS. TRINITATIS MYSTERIVM,

A

Doctore Angelico D. THOMA AQVINATE, Quinto Ecclesiæ DOCTORE, in Prima Parte Summæ Theologicæ, ASSERTVM, DEFENSATVM, EXPLICATVM.

SAcrosanctum SANCTISSIMÆ TRINITATIS Mysterium attestante Ecclesiast: 7. est, *Alta profunditas quis inueniet eã?* Hinc cùm esset sacris tot vestitum ænigmatibus, tot Hierosolymitani Templi Sacrificiis inuolutum, tot naturalium similitudinum imaginibus adumbratum, necesse fuit vt ipsa LVX veniens in mundum, Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarrasset nobis, tanti Mysterii Maiestatem imperscrutabilem, Vnitatem indiuisibilem, Pluralitatem Consubstantialẽ. Porrò intumescentes aquas huius Mysterii cum Ezechiele Propheta nõ valens transuadare Doctorum Aquila, dignam Augustino professus est veritatem, Lib. 1. de Trinit. dicens: Vbi quæritur Vnitas Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid inuenitur. Non pigebit me sicubi hæsito quærere, non pigebit sicubi erro discere. Quisquis ergò hoc audit vel legit, vbi pariter certus est pergat mecum; vbi pariter hæsitat, quærat mecum; vbi errorem suum cognoscit, redeat ad me, vbi meum reuocet me. Ita ingrediamur simul Charitatis viam, tendentes ad eum de quo scriptum est *Quærite faciem eius semper.*

Huius Doctrinæ AugustinianæDoctor Angelicus presit vestigia ac Celsissimum hoc explicans Mysterium, quæsiuit SS. TRINITATIS faciem in via, reuelatis S. Scripturæ itineribus incedendo; Vniuersali Sanctæ Ecclesiæ sensui proprium ingenium accommodando, SS. Doctorum Authoritatibus firmam, claram ac celsam Sententiã Doctrinæ suæ solidando, mentes vniuersorum fidelium instruendo, Hæreses Arianorum, Sabellianorum, aliorumq; peruersissimorum dogmatum Nouatores profligando ac semper super terram in Fide SS. TRINITATIS contra inimicos Dei & Christi triumphando, nunc facie ad faciẽ videt in Lumine Lumen felicissimus iubilando. Attamen Mysterium quod iam ipse palam intuetur, nobis reliquit explicatum. Quò circa ex mente Doctoris Angelici de hoc Augustissimo Mysterio has ponimus Fidei ac Theologiæ assertiones.

R In

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.

1. DAtur in Deo Diuinarum Personarum pluralitas : 2. inter Patrem & Filium Essentiæ Vnitas: 3. & inter Spiritum Sanctum cum vtroq; 4. & sunt tantùm Tres Personæ Diuinæ: 5. & non plures. Totum de Fide est. Gen. 1. *In Principio* &c. id est in Filio. Isai. 6. Sanctus Sanctus Sanctus [*ecce pluralitas*] Dominus Deus Sabaoth (*ecce Essentia Vnitas contra Sabellianos*) Mat. 6. Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. *Congruentia Primi.* Perfectissima Amicitia, importat æqualitatem & redamationem alterius. 2. Summa Bonitas, debet se summo modo communicare. 3. Summa Felicitas, requirit Societatem Personarum eiusdem naturæ. Et hæc tria in Deo reperta .s. Amicitia, Bonitas, Felicitas, necessariò debent habere eiusdem naturæ extrema realiter distincta. T. q. sola *Infinitas absoluta* est immultiplicabilis in Deo : iam autem Infinitas Relatiua, virtualiter distincta à Natura est Multiplicabilis, quia Ratio Relatiua necessariò dicit exclusionem Termini quem respicit, & sic solùm petit infinitatem, non simpliciter, sed in proprio genere: v. g. Paternitas, solùm dicit exclusionem alterius Patris, & necessariò respicit Filium. Et vltra hanc infinitatem *Relatiuam*, Personæ Diuinæ habent etiam *Absolutam*, à Natura Diuina, quam Transcendentaliter imbibunt.

Pro 2do. Ioan. 10. dicitur. Ego & Pater Vnum sumus: Vnitate Naturæ per Consubstantialitatem quam negabat Arius, & non tantùm Vnitate Affectiuâ, per identitatem Amoris, qui est creaturis communicabilis. T. q. Inter Patrem & Filium necessaria adminùs est conuenientia specifica : vt patet in hominibus; cumq; Natura Diuina sit singularis & immultiplicabilis, inter Patrem æternum & Filium eius Vnigenitum debet esse omnimoda Identitas naturæ. T. q. In Diuinis Pater & Filius, sunt æquales in omnibus prædicatis absolutis: & sicut Pater ita & Filius operatur omnia vt Agens Principale, secundùm Propriæ Voluntatis dispositionem: iam autem, Ex æqualitate Virtutis & operationis in Patre & Filio, infertur inter ipsos identitas naturæ ; nam Virtus & Operatio consequuntur naturam. Vnde Filius Dei, tantùm est minor Patre, & Agens Instrumentale Diuinitatis, secundùm Humanitatem, in qua etiam vt Homo non Reduplicatiuè id est per scientiam humanam sed specificatiuè, per scientiam Infusam, sciuit Diem Iudicij tanquam Iudex viuorum & mortuorum; quamuis Marci 15. dicatur

nesci-

nescire Filius hominis id est Christus diem iudicij; vel quia non facit scire alios eundem, secundum D. Aug. vel quia vt Legatus Patris eundem non publicauit, sed in suo secreto tenuit.

Pro tertiò Quia Spiritui Sancto competit *Esse vbiq;* sicut Patri & Filio iuxta sap. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. 2do Agere authoritatiue, creando. Iudith 16. Misisti Spiritum & creata sunt 3tio Secretorum Reuelatio 1. ad Cor: 2. v. 10. Mortuorum resuscitatio Rom: 8. v. 11. Et Ioan: 16. Spiritus Sanctus Quæcunque audierit [per communicationem Essentiæ & scientiæ Diuinæ, non autem per instructionem inferioris à superiore] loquetur & annuntiabit Vobis. Et ista assertio Catholica est contra Macedonianos Hæreticos.

Pro quartò. In Symb: Athan. dicitur. Vnus ergo Pater non tres Patres; Vnus Filius non tres Filij, Vnus Spiritus Sanctus non tres Spiritus Sancti. Quæ Propositio à SS. Patribus tanquam Exclusiua habetur. T. q. In Diuinis tantùm est vna Persona improducta .s. Pater,& duæ Productæ .s. Filius & Spiritus Sanctus. Quia Natura Diuina ad Intra,est operatiua per Intellectum & Voluntatem, idemq; Intellectus prout in Patre, est potentia generatiua,secundùm quam Processio Filij est Generatio. Voluntas prout in Patre & Filio, tanquam in vno spiratore, est Potentia spiratiua, secundùm quam Processio Spiritûs Sancti, est Spiratio Actiua. Ergo sicut Generationi actiuæ infinitæ vnus terminus, infinitus, productus, Genitus .s. Filius, ita Spirationi Actiuæ infinitæ, alter Terminus infinitus, productus, spiratus, .s. Spiritus Sanctus correspondere debet.

Pro quinto. Quia pluribus quam tribus admissis, iam actu essent Personæ Diuinæ infinitæ, cum illarum numerus certus, nullâ ratione possit constitui, sicut nunc constituitur secundùm numerum Processionum, penes quas saluatur distinctio Personarum T. q. Illæ plures Processiones non essent inter se diuersæ, *Nec specie,* quia Intellectio (quæ vt modificata Relatione Paternitatis est Generatio) conuenit specificè cum suo Termino adæquato .s. Verbo Diuino. *Nec numero,* quia Processiones Diuinæ carent materia, sicut & illorum Termini per se subsistentes & infiniti.

II. Processiones immanentes dantur in Diuinis. T. q. Ioan: 7. Christus de seipso attestatur. *Ego à Deo Processi.* & 16. Ioan: de Spiritu Sancto affirmat. *Mittam Vobis Spiritum Veritatis qui à Patre procedit.* Et ista vtraq; Processio Filij & Spiritûs Sancti *primò* est non à causa & principio extraneo : sed à Principio Originis & intrinseco eiusdem naturæ, quod non repugnat Enti à se : *2do* est, dicens solam connexionem : & excludens omnem dependentiam & subordinationem per quam semper importatur Alietas in natura ;

vt patet in Causis subordinatis. *3tio* est non materialis & corporalis: sed Intelligibilis, penes quam id quod procedit ad intra, tantò magis est vnum cum suo Principio, quantò perfectius procedit: vnde Procedens requirit solùm distinctum modum Essendi & subsistēdi in eadem natura; *4tò* est Non temporalis & successiua, ratione cuius procedens est indigentis naturæ: vt patet in effectu respectu causæ: sed Æterna & tota simul, ratione cuius Personæ Procedentes semper fuerunt in Recepisse, in æternitate admittente prioritatem & posterioritatem Originis: vt patet in Sole respectu Lucis diffusæ.

Theologica Congruentia. Quia, *Omne intelligens, eo ipso quod intelligit format Verbum.* Quod Axioma verum est Vniuersaliter, secūdùm distributionem incompletam .s. ex parte Intelligentium, non verò ex parte Intellectionum, vt sensus sit: Omne intelligens, eo ipso quod est intellectualis naturæ, format Verbum, in aliqua sua intellectione: vt patet in hominibus & Angelis formantibus Verbum *Ex Necessitate*, sic etiam Intellectio Paterna in qua est fæcunditas (quæ negatur Essentiali Intellectioni) producit Verbum *Ex Fæcunditate* eiusdem Naturæ & immaterialitatis, per quod intellectui Diuino repræsentatur Quidditatiuè obiectum proportionatum.

III. Processiones Actiuæ sunt formaliter ipsimet actus Essentiales Intellectionis & Volitionis Diuinæ, prout modificati & completi per suas Relationes in obliquo connotatas. Quia Intellectio Diuina Essentialis actiuè sumpta, (quæ est prima Processio) vt modificata per Paternitatem, *Est propriè viuentis à viuente coniunctio in similitudinem naturæ generatio*: Vnde Generatio seu Intellectio actualis, est forma constitutiua Patris vt Generantis: ipsa autem Paternitatis est modus & complementum istius formæ. T. q. Intelectio sic modificata, idem est quòd Dictio: *partim* quia vtraq; formaliter est actus intellectûs, quem specificant, *partim* quia habent se ad Terminos subordinatos, Dictio immediatè ad Verbū, Intellectio ad Obiectum in Verbo cognitum: Vnde *Dictio* Verbi & *Contemplatio* Obiecti, sunt inadæquatè actiones, & habent se per modum primarij & secundarij cum mutua inclusione, respiciuntque idem formale obiectum, quamuis diuersum materialiter; T. q. Non potest dari Intellectio Notionalis constitutiua Dictionis, Virtualiter distincta ab Intellectione Essentiali; *partim* quia Absoluta non multiplicantur per identitatem cum Relationibus: *partim* quia non est duplex intellectus alius Absolutus alius Relatiuus. Et idem de Volitione Essentiali vt modificata per Relationem spiratoris est dicendū.

IV. Principium *Quo* Diuinarum Processionum *Remotum*, est Essentia Diuina 2. *Proximum* est Intellectus & Voluntas. 3. prout

vtrum-

vtrumq; ſuis modificatur Relationibus. *Ratio primi.* Quia Perſonæ Productæ aſsimilantur Perſonis Producentibus in natura ; iam autem, Principium Quo Primum, eſt id, in quo Terminus productus producenti aſsimilatur *vel Formaliter*: vt patet in Filio cui per intellectum ex vi Proceſsionis communicatur natura Diuina. *vel Identicè*, vt patet in Spiritu Sancto, qui procedit per Voluntatem, cui identificata eſt Natura Diuina, ideoq; Spiritus Sanctus ſimilis eſt identicè Principio Producenti. *Ratio ſecundi.* Quia in creatis Natura non eſt immediatè operatiua, ideoq; ſicut in nobis, ita & in Angelis eſt, niſi mediante Intellectu & Voluntate, Intellectiua & Volitiua, tanquam potentiis realiter à ſe & inter ſe diſtinctis : conſequenter in Deo intellectus & voluntas vt virtualiter à Natura Diuina diſtinctæ potentiæ, erunt Principium Proximum Intellectionis prout generatiuæ, & volitionis prout ſpiratiuæ; aliàs ſublato ordine potentiarum, tolleretur ordo Actionum internarum, quæ ſunt *mediatè* à Natura Diuina, à qua *immediatè* ſunt Attributa tanquam ipſius proprietates ſimpliciter reſultantes. *Ratio tertij.* Quia Principium *Quo* reale, debet ſaltim inadæquate diſtingui à termino producto; quod non haberent Eſſentia, ac Intellectus & Voluntas prout ſunt *in recto* quid abſolutum, ſi non connotarent in Obliquo Relationes modificantes, ac diſtinctionem indiuidualem tribuentes. T. q. Principium eſſet commune vtrumq; omnibus Perſonis Diuinis; conſequenter etiam Filius generaret, nam in Deo omne poſsibile exiſtit; iam autem Potentia Generatiua *Actiua* ſolùm habetur vt connotat Relationem Paternitatis, ſicut Potentia Generatiua *Paſsiua* ſolùm habetur vt connotat Relationem Filiationis ; vnde defectus Potentiæ Generatiuæ Actiuæ in Filio, eſt tantùm Negatiuus, non Priuatiuus ; conſequenter, ſicut actualis generatio, eſt actualis Intellectio, præſupponendo Paternitatem ſub conceptu *Formæ Hypoſtaticæ*, tanquam complementum Potentiæ generatiuæ, & eandẽ connotando ſub conceptu *Referentis*; ita Paſsiuum generari eſt actuale intelligi, connotatâ filiatione; ideoq; Potentia generatiua Actiua & Paſsiua, actuſq; ab ipſis virtualiter egredientes, ſecundùm id quod dicunt in recto, non diſtinguuntur, ſed tantùm penes Relationes de connotato importatas. Iſta: *Intellectus generat*; falſa; quia Lij *Generat*, cùm actionem Notionalem ſignificet, requirit Principium *vt Quod* generans. Iſta: *Intellectus intelligit*: vera ; quia Prædicatio actuum Eſſentialium de intellectu & voluntate non requirit realem perſonarum diſtinctionem ; ſecus in Notionalibus.

V. Proceſsio Verbi, ideo eſt Generatio, quia Verbum procedit per intellectum ex proprio conceptu aſsimilatiuum : 2. & Proceſsio Spiritûs Sancti ideo non eſt Generatio, quia procedit per vo-

luntatem, quæ non eſt Potentia aſsimilatiua. *Ratio primi.* Nam Diuinum Verbum ideo eſt genitum : quia eſt ſimile ſuo Principio in Natura, ſibi communicata per intellectum: qui vt abſtrahit à creato & increato, eſt aſsimilatiuus, nam Intellectus eſt quodammodo omnia: & Intellectio fit per aſsimilationem; conſequenter Pater æternus producendo Filium per intellectum, intendit producere ſibi ſimile in Natura: non tantùm ſecundùm *Eſſe intelligibile* ſeu intentionale (quod competit intellectui noſtro ob eius imperfectionem) ſed etiam ſecundum *Eſſe Naturale*; *partim* quia Intellectus *vt ſic*, in perfectiſsimo ſui Analogato, etſi non Poſitiuè, Permiſsiuè tamen petit aſsimilationem in modo eſſendi naturali; *partim* quia in Deo *Eſſe Intelligibile* & *Naturale*, non diſtinguuntur virtualiter, cū Ipſum Intelligere puriſsimum, ſit conſtitutiuum Naturæ Diuinæ. Hinc ex vi Proceſsionis & propriæ lineæ ordinatæ ad communicandam naturam, Verbo Diuino communicatur Natura Diuina, ideoque Filius ex vi Proceſsionis eſt Formaliter *Deus*; Et deinde quia Filius nullo modo poſſet procedere *vt ſimilis*, niſi ſimul procedat vt ſubſiſtens in Natura Diuina ſeu vt Perſona Diuina, ideoq; ex vi Proceſsionis eiuſdem, eſt formaliter *Perſona Diuina*, quia Perſona conſtituitur ex ſubſiſtentia Relatiua vt modificante naturam; Ac tandem cùm naturaliter ſubſiſtentiam ſubſequatur Exiſtentia ideo etiam ex vi eiuſdem Proceſsionis Verbo Diuino communicatur *Exiſtentia*, tanquam primo & per ſe ſpecificatiua talis productionis : ſicut forma ſubſtantialis eſt terminus ſpecificatiuus generationis ſubſtantialis; nam Verbum Diuinum ex vi ſuæ Proceſsionis recipit *Intelligere* quod eſt formaliſsime Eſſe Dei.

Ratio ſecundi, per oppoſitum. Quia proprius modus operandi Voluntatis, non eſt per aſsimilationem ad obiectum amatum, ſed per inclinationem & propenſionem in illud; vnde Pater & Filius, vt ſunt Vnus Spirator, per actum volitionis Diuinæ ſubſtantialis, vt modificatæ per Relationem Spiratoris, ex vi Proceſsionis *Ordine Intentionis*, primariò & per ſe producunt Impulſum ſeu Amorem, qui formaliter ſpecificat & terminat actionem volitiuam; *Ordine Executionis* primario communicant Naturam Diuinam per Proceſsionem ſicut forma ſubſtantialis prior in Intentione ſpecificat actionē: non verò Qualitates Alteratiuæ; ſolùm priores in Executione. Hinc in Intentione & in genere rationis finalis, priùs conuenit Spiritui Sancto Attributum, .ſ. Impulſus, licet Ordine Executionis, prius ipſi conueniat Natura Diuina; proinde ex vi Proceſsionis ſuæ Spiritus Sanctus eſt formaliter *Amor Spiratus*, ſeu vt ſubſiſtens formaliter in Amore, ſubſiſtentiâ Relatiuâ; iam autem ex vi Proceſsionis, non eſt Perſona Diuina; quia Perſona Diuina formaliter conſtituitur ex

ſubſi-

ſubſiſtentia Relatiua modificante Naturam: iam autem Spiritus Sanctus vi ſuæ Proceſsionis, habet Relatiuam ſubſiſtentiam præciſè vt modificantem Impulſum ſeu Amorem in obiectum amatum. *Secundò* ex vi eiuſdem Proceſsionis non eſt Formaliter Deus: quia non ſub omni formalitate procedit ſub qua eſt: ſicut homo genitus & creatus, habent eademmet prædicata quoad eſſe, & tamen vnus terminat generationem ſub formalitate talis entis, & alter terminat creationem ſub formalitate entis creabilis; non ergo omne quod ſe habet formaliter ad eſſe, etiam formaliter ſe habet ad terminandam actionem illius; ſic, Spiritus Sanctus eſt formaliter Perſona Diuina, & tamen vt Perſona eſt, terminat vt Quod, Actionem ſpiratiuam, & Filius terminat Actionem Intellectiuam, iam autem dum dicitur: *Spiritus Sanctus eſt Deus Spiratus ex vi ſuæ Proceſsionis*: eſt vera Propoſitio, quia Lij *ex vi*, reduplicat rationem formalem Impulsûs, eſſe terminum formalem Proceſsionis Spiritûs Sancti; & dum dicitur: *Spiritus Sanctus ex vi ſuæ Proceſsionis eſt Deus*: non eſt vera, quia Lij *ex vi* reduplicat Deitatem ſub conceptu Naturæ, & denotat illam eſſe terminum formalem eiuſdem Proceſsionis, quod in ſolo Filio verificatur: vnde in ſolo Spiritu Sancto verificatur, Terminum formalem eius Proceſsionis, eſſe Impulſum, ſeu Diuinitatem vt Attributalem; non autem Diuinitatem ſubiectiuam Naturæ; Attamen Spiritus Sanctus & eſt Perſona Diuina, & eſt Deus per Proceſsionem, *Materialiter & identice tantum*, propter identitatem Naturæ, cum Impulſu ſeu Amore; Amor autem perfectiſsimus vendicat ſibi ex propria linea quod ſit ſubſiſtens, ſubſiſtentiâ Relatiuâ proindeque Spiritus Sanctus procedit, vt diſtinctus realiter à Patre & Filio, quia procedit vt Amor modificatus diſtinctâ à Patris & Filij ſubſiſtentiâ.

Et quamuis ſit Deus identicè, non tamen poteſt Spiritus Sanctus dici Filius Identicè & materialiter, quia de ratione Filij eſt, quòd formaliter & ex vi Proceſsionis, ſit in Natura Producenti Principio ſimilis; & non materialiter: verba autem in Definitione Generationis propriæ poſita, formaliter ſunt accipienda. Hic adde quòd ſicut formæ *in Eſſe rei*, proprium eſt, determinare ſubiectum ad producendum ſibi ſimile; ita Formæ *in eſſe cognito*, proprium eſt ad ſe inclinare in illud, ad quod comparatur vt forma tali modo .ſ. in eſſe cognito & repræſentatiuo bonitatis, quam habet obiectum in ſe. Quia ergo Intellectus Diuinus conſtituitur in actu completo per ſimilitudinem obiecti *tanquàm per formam in eſſe rei*, realiter afficientem & actuantem, ideo Verbum procedit vt ſimile Obiecto cognito .ſ. Diuinæ Eſſentiæ; iam autem Spiritus Sanctus procedit vt ſimilis ſuo Obiecto Amato, ſimilitudine ſe habente tantum *vt forma in*

Esse cognito, & ostensiua bonitatis, quam habet in se obiectum; ideoque ista similitudo in esse repræsentatiuo & cognito, solùm causat in voluntate Impulsum seu Amorem, qui est actualis Inclinatio Naturæ iam constitutæ, per quam voluntas in actu completo constituitur; ac perconsequens ex vi Processionis per voluntatem Spiritus Sanctus procedens, non euadit formaliter similis.

VI. Relationes reales dantur in Deo: 2. à Diuina Essentiæ indistinctæ tam realiter Entitatiuè; 3. quàm realiter modaliter: 4. ac etiam formaliter ex Natura rei ante operationem intellectûs: 5. solâ stante inter Essentiam & Relationes distinctione Rationis ratiocinatæ. *Ratio primi.* Quia Pater, realiter est Pater per Paternitatem, vnde inter Personas est distinctio realis à Relatione proueniens; fundata in generatione, requirente distinctionem realem geniti à generante. *Ratio secundi.* Quia in Diuinis esset Quaternitas rerum; *contra Concil. Lat.* Et in Deo omnia sunt vnum, vbi non obuiat Oppositio Relationis. Et Personæ Diuinæ (iuxta hanc distinctionem) essent compositæ ex Essentia & Relatione, compositione reali entitatiuâ. *Ratio tertij.* Quia Persona Diuina esset realiter composita, ex natura, & ex modo realiter distincto, ab illa; nã Cõpositio est distinctorũ vnio. T. q. Ideo Christus dicitur Compositus quia ex Natura humana & ex Personalitate Increata, tanquã ex modo terminante cõponitur. T. q. Paternitas adæquatè identificatur cũ Essentia Diuina *secundũ Rem*; sed *non secundùm modũ intelligẽdi*, quià sic concipitur Paternitas distincta ab Essentia: similiter, Paternitas realiter identificatur cum Filiatione, & realiter distinguitur ab illa; vt autem Paternitas adæquatè non identificaretur cum Essentia, necessarium erat vt distingueretur à Filiatione totaliter, nec realiter identificaretur cum illa: nam Idẽtificari & Distingui, in Entitate infinita coadunantur. *Ratio quarti.* Quia Relationes Diuinæ sunt omnino idem, cum Essentia Diuina; iam autem, quæ sunt omnino idem, non distinguuntur actu ante intellectûs operationem. T. q. Ex affirmatione, quòd Essentia cõmunicetur: & ex Negatione, quòd Paternitas non communicetur: probatur & infertur vel Entitatiua distinctio, quia Essentia Entitatiuè communicatur Filio: & Paternitas Entitatiuè negatur de illo, vel Distinctio formalis non astruitur, quia Communicari & Noncommunicari formaliter, possunt de eadem formalitate verificari, propter infinitatem formalitatis; sicut Entitatiuè communicari & non communicari, ratione infinitatis de eadem Entitate possunt affirmari. *Ratio quinti.* Quia id asserit Concilium Florentinum Sess. 19. *partim* quia intellectus noster viatorum, habet fundamentum in Essentia Diuina, quatenus ob suam infinitatem exercet munus Abso-

lutæ

lutæ & Relatiuæ Entitatis, vt actualem inter ista munia formet rationis ratiocinatæ distinctionem: *partim* quia Essentia & Relationes prout definiuntur à Viatore per conceptus inadæquatos, distinctas habent ex parte modi concipiendi definitiones; verùm secundùm quòd concipiuntur à Comprehensore, & secundùm rem prout sunt in se, vnicâ adæquatâ gaudent Definitione: vnde Definitio de Diuinis data à viatore, est defectuosa, non penes excessum & contrariè; sed penes inadæquationem, non exprimendo omne prædicatum competens Deo.

VII. Essentia Diuina, sub formalitate Entitatis Diuinæ transcendentalis: 2. & sub conceptu Naturæ, est de Quidditate Diuinarum Relationum: 3. ipsæque Relationes sunt de conceptu Deitatis 4. non tanquam Constitutiuum Naturæ Diuinæ Metaphysicum ingredientes. 5. sed tanquam modi aut termini essentialiter modificantes. *Ratio primi.* Quia Relationes Diuinæ includuntur in Essentia, sicut abstracta in concretis, quæ in Deo quoad rem significatam idem formaliter important v. g. Deus Deitas, Pater Paternitas: non tamen quoad modum significandi. T. q. Paternitas est realiter Essentia Diuina: iam autem Quicquid prædicatur realiter de Paternitate, etiam essentialiter prædicatur de illa: *partim* quia positâ Prædicatione Reali de aliquo, sine Essentiali, subiectum talis prædicationis est in potentia: vt patet in prædicatione Entitatiua sine Formali: *partim* quia talis prædicatio est ratione summæ actualitatis, petentis actu essentialiter omnem perfectionem: *partim* quia quia talis prædicatio, debet esse cum vnitate posſibili .i. Identitatis Essentialis quæ maior est vnitate Identitatis Realis: *partim* quia mutuo sese excluderent Essentia Diuina & Relationes: consequenter per modum potentiæ determinabilis, & actus determinantis, importantis compositionem Diuinæ simplicitati repugnantem. T. q. Sicut, Esse inhærens & Accidentale est de conceptu Relationis creatæ intrinseco: ita Esse Diuinum substantiale est de conceptu intrinseco Relationis increatæ.

Ratio secundi. Quia sicut Persona humana essentialiter includit naturam humanam, cuius est indiuidua substantia, ita Persona Diuina essentialiter includit Naturam Diuinam, consequenter etiam Personalitas eandem includit: quia Abstractum & Concretum in Deo idem sunt quoad rem significatam. Non tamen Essentia multiplicatur ad multiplicationem Relationum Diuinarum, cùm in illis sit per *Transcendentiam realem*: iam autem Entitas & Realitas Diuina, ad multiplicationem & productionem Relationum, multiplicatur & producitur, quia est in illis per *Transcendentiam Rationis*, abstrahentis à Relatiuo & Absoluto. T. q. Sola Constitutio *vel per*

compoſitionem realē & phyſicâm, *vel* Rationis & Metaphyſicā, nec explicitè nec implicitè poteſt continere conſtitutū: v. g. anima realiter non includit corpus quod conſtituit, nec Rationale includit animal; ex quibus tamen duobus mataphyſicè componitur homo; iam autem Relationes Diuinæ conſtituunt Perſonas, ſed iſta Conſtitutio eſt per omnimodam *ſimplicitatem*, conſequenter Relationes totum dicunt implicitè, quòd Perſonæ Diuinæ iam conſtitutæ important explicitè. T. q. Eſſentia Diuina prædicatur *Per ſe*, de Relationibus: non Perſeitate Expreſsi conſtitutiui de conſtituto: ſed Perſeitate Expliciti de Implicito tanquam prædicatum tranſcendentaliter in Relationibus incluſum implicitè: & Relationes prædicantur de Eſſentia tanquam modi, ad aliud eam ſignificantes. Prædicata Eſſentiæ Diuinæ, Abſoluta, prædicantur abſolutè de omni eo de quocunque Diuina Eſſentia prædicatur *in abſtracto* v. g. Paternitas eſt Eſſentia: Paternitas eſt iuſtitia Miſericordia; *in Concreto* non; nam falſa hæc: Eſſentia eſt ſapiens, creans: in ſolis tranſcendentalibus eſt vera hæc: Eſſentia vel potentia eſt Ens, bona &c. alia Prædicata quæ eſſentialiter prædicantur de Eſſentia Diuina, prout reduplicatiuè eſt ſuperior ad Perſonas, & virtualiter ab illis diſtincta, prædicantur tantùm cum addito & reduplicatione Eſſentiæ, de omni eo, de quocunque prædicatur Eſſentia: v. g. Paternitas eſt Eſſentia Diuina communicabilis: Paternitas eſt, Eſſentia Diuina quæ eſt radix attributorum.

Ratio tertij. Quia in Diuini Eſſe perfectione continetur, Verbum intelligibiliter procedens, & Principium Verbi, & Amor: cùm eſſentialem Deitatis ingrediantur Definitionem. T. q. iſta Propoſitio: *Deus eſt Pater:* eſt per ſe, in primo modo, iuxta dicta immeditè in ratione ſecunda. T. q. Impoſsibile eſt aliquos duos dari cōceptus Obiectiuos, quorum vnus eſſentialiter includat alterum, & alter non includat ipſum. T. q. Quicquid dicitur de prædicato eſſentialiter, *Re & Ratione*, eſſentialiter etiam dicitur de ſubiecto; & ideo filiatio dicta de Eſſentia, eſſentialiter ſecundùm rem, non prædicatur de Paternitate identificata ſecundùm rem cum Eſſentia, quia Filiatio diſtinguitur Ratione ab Eſſentia.

Ratio quarti. Quia Relationes Diuinæ non primò intelliguntur in Diuina Eſſentia: nec ſunt radix Attributorum: nec æquè patent ac Natura: nam Natura prædicatur de Filio & non Paternitas.

Ratio sti. Quia Eſſentia Diuina petit eſſentialiter terminari & modificari Relationibus, tanquam modis inadæquatis: vnde in illo ſigno in quo à Patre æterno intelligitur & concipitur nondum Filius genitus, eſt in Patre æterno tota Perfectio abſoluta Naturæ Diuinæ, ſed *non totaliter*, quia in illo ſigno non intelliguntur omnes modi eſ-

ſentia-

ſentiales Naturæ Diuinæ; Et Pater Æternus generando filium, cōmunicat Filio Totam Eſſentiam *Cathegorematicè*: quia ei communicat conſtitutiuum Deitatis, cum omnibus abſolutis; ſed non Totam *Syncathegorematicè* quia ei non communicat omnem modum eſſentialem. T.q. Stante perfectâ & ſummâ identitate Relationum Diuinarum cum Eſſentia Diuina, ſtat Realis illarum inter ſe diſtinctio & oppoſito; nam illud Axioma. *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*: intelligitur *Primo ſic.* Quæ ſunt eadem, *ſecundùm Rem & Rationem ratiocinatam*, vni tertio, ſunt eadem inter ſe. Iam autem Diſtinctio Ratiocinata extremorum à medio, infert diſtinctionem extremorum inter ſe, non poſitiuè ſed permiſsiuè & hoc inter ſola prædicata Relatiua, non verò inter abſoluta; Et ideo Paternitas & Filiatio, quia diſtinguuntur ſecundùm rationem ratiocinatam ab Eſſentia, tanquā prædicata relatiua, ideo non identificantur inter ſe. Iam autem Eo ipſo quod extrema diſtinguantur à Medio per Rationem, poſſunt importare formalitates inter ſe oppoſitas, quæ cum Medio non opponuntur, proindeque talia extrema poſſunt inter ſe diſtingui Realiter ratione Oppoſitionis, & non diſtingui realiter à Medio cum quo non opponuntur. *Secundo ſic*: Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe: *ſecundùm id quòd eſt ratio identificationis in tertio, non verò ſecundùm aliud.* Et quia Eſſentia, eſt ratio, in qua Paternitas & Filiatio identificantur, & non Relatio, inde eſt, quòd Pater & Filius ſunt vnum in Eſſentia & non Relatione. *Tertiò ſic.* Quæ ſunt eadem vni tertio, *Adæquatè & conuertibiliter*, *ſaltim ex parte vnius extremi* ſunt eadem inter ſe. Et quia Relationes identificantur cum Eſſentia inadæquatè & inconuertibiliter, ideo non ſunt idem inter ſe.

VIII. Spiractio Actiua, quâ Pater & Filius reſpiciunt Spiritū Sanctum vt ſuum Correlatiuum à ſe diſtinctum, eſt Relatio Realis, indiſtincta à Paternitate & Filiatione realiter. 2. & diſtincta virtualiter. *Ratio primi.* T.q. inter prædictas Relationes, non obuiat oppoſitio Relationis. T.q. ſuâ diſtinctione reali, Spiratio Actiua conſtitueret quartam Perſonam .ſ. Spiratorem. T. q. Repugnat quòd realiter diſtinguatur à Patre & Filio, & ſit vtriq; communis: nam Diſtinctio Realis in Deo fundatur in oppoſitione Relatiua, quam ſequitur Incommunicabilitas. T. q. Pater æternus non eſſet ſimplex, ſed compoſitus ex Paternitate & Spiratione, vel minùs ſimplex Spiritu Sancto, in quo ſola eſſet & eſt ſpiratio Paſsiua. *Ratio ſecundi.* Quia Paternitas & ſpiratio actiua, reſpiciunt diuerſos terminos; nō ſpecificè, ergo ſaltim virtualiter & in ratione Relationis diſtinctos. Vnde ſunt duo reſpectus puri & duæ Relationes, non tamen ſunt duæ Res Relatiuæ: quia *Res Relatiua* exprimitur per modum formæ: & ſic in Patre æterno, ſunt duo reſpectus, non tamen duæ formæ.

IX. Relationes Diuinæ ſecundùm conceptum explicitum,

prout virtualiter ab Essentia distinctæ, non addunt aliquam perfectionem relatiuam virtualiter distinctam à perfectione Essentiæ. T. q. Perfectio sumitur per ordinem ad subiectum perfectibile, inspectum *ratione sui*, per commensurationem ad illud; iam autem Relatio respicit subiectum *Ratione termini Correllatiui*, cum quo commensuratur. Et ideo Attributa addunt perfectionem aliquam Diuinæ Essentiæ virtualiter distinctam, quia Essentiam Diuinam respiciunt ratione sui. T. q. Perfectio formalis consistit in conuenientia vt est in actu Existentiæ, vel vt exprimit ordinem ad ipsam; iam autem Relationes tantùm ratione Essentiæ in illis inclusæ, & non ratione sui, dicunt ordinem ad Existentiam, quia Existentia Relationis est ad suum subiectum, non autem ad Corellatiuum. Imò Paternitas ratione sui cùm non sit Entitas Contingens, est necessariò Entitas Necessaria; iam autem Inter Contingens & Necessarium non datur medium *in re*: benè tamen factâ aliquâ reduplicatione; sic Inter Perfectum & Imperfectum non datur medium *absolutè*: sed tantùm factâ reduplicatione: & quidem Inter Perfectum & Imperfectum *Negatiuè*, non datur medium; sed tantum inter *Priuatiuè*: vnde Personæ Diuinæ reduplicatâ distinctione ab Essentia, nec perfectæ sunt, nec imperfectæ, *Priuatiuè*: sunt tamen *Negatiuè* tales, quia eis prout sic, nulla debetur perfectiò. T. q. Perfectum est cui nihil deest; tantũ in genere dicente perfectionem; nam Peccato nihil deest, in proprio genere; & tamen non potest dici *Perfectum*. T. q. Cuilibet ex Personis Diuinis deficeret aliqua perfectio æqualitatem tollens: Nec Diuiua Essentia esset summè perfecta, dum Filium summè non perficeret, cui omnem modum subsistentiæ non communicaret; iam autem Habere repugnantiam & incomposibilitatem cum alia perfectione quoad præcontinentiam tam formalem quam Eminentialem, est imperfectio. T. q. Superaddita Perfectio, nec esset Medii, nec vltimi Finis; aliàs darentur tres fines vltimi Relatiui: & tria principia relatiua: & tres boni substantiuè & Adiectiuè: quia significatum Formale & Materiale huius nominis *Bonus* multiplicaretur. Vnde Relationes Diuinæ sunt bonæ specificatiuè, & absolutè perfectæ propter inclusionem Diuinæ Essentiæ.

X. Relationes Diuinæ, non gaudent Existentiis Relatiuis realiter inter se: & virtualiter distinctis ab Existentia Absoluta. *Ratio prima.* Quia Quidditas Relationum est *Relatiua*, & Existentia Relationum est quid *Absolutum*; iam autem Absoluta non multiplicantur ad multiplicationem Relationum. T. q. In Deo non sunt tres Essentiæ: nec tres Naturæ Diuinæ: nec tres Deitates: nec tres rationes Increati: nec tres Æternitates Ergo nec tres Existentiæ; *partim* quia Existentia dicitur conuertibiliter cum Essentia: *partim* quia Essentia

ſentia & Natura vſurpantur pro eodem: ſicut & Deitas: *partim* quia intimiùs comparatur Eſſentia ad Entitatem quàm ad Exiſtentiam; & tamen ſtat multiplicatio realis Entitatum, immultiplicatâ ſtante Eſſentiâ; conſequenter etiam ſtabit realis diſtinctio entitatum cum vnitate Eſſentiæ: *partim* quia ratio increati poſitiuè conſiſtit in *Exiſtere à ſe:* vnde ſicut Exiſtentia formaliter conſiſtit in *Ponere rem extra nihil:* ita & Ens Diuinũ per *eſſe increatum* conſtitutum, conſiſtit in *Extra nihil: partim* quia Æternitas in Deo vel ab Exiſtẽtia non diſtinguitur: quia Duratio eſt continuatio rei in eſſe; vel eſt modus illius: *partim* Eadem Entitas non poteſt duplici Exiſtentiâ terminari: quæ vt abſtrahit à creata & increata conſiſtit in hoc quod eſt *Aliquid extra nihil conſtitui.*

Ratio ſecunda. Exiſtentia cuiuſuis entitatis eſt abſoluta: etiam Entitatis Relatiuæ; *partim* quia ſicut æternitas relationis (vt fatentur aduerſarij) iuxta illos eſt abſoluta: & Duratio relationis creatæ & increatæ eſt abſoluta; ita & Exiſtentia quæ eſt continuatio entitatis in eſſe; *partim* licet Entitas Relationis Diuinæ ſit Relatiua; tamen eius Actualitas .ſ. ratio actûs puri, eſt abſoluta; ideoq; & Exiſtentia erit abſoluta: quia Entitas Relationis per id conſtituitur in ratione Exiſtentis, per quod conſtituitur in ratione Actûs puri: *partim* quia Exiſtentia Relationi conuenit reſpectiuè ad ſubiectum, & ad eius Entitatem comparatur vt Actus: in quo nulla importatur reſpicientia Prædicamentalis: *partim* ideo ſubſiſtentia Relationis eſt Relatiua, quia Perſonam debet conſtituere *ſubſiſtentem Incommunicabiliter:* quòd non poteſt fieri ſine Relatione; iam autem de conceptu Exiſtentiæ non eſt, quòd conſtituat *Exiſtens Incommunicabiliter:* vnde iuxta D. Aug. Perſona dicitur Ad ſe, quamuis multiplicetur; ſed tantum *ex parte modi ſignificandi,* quia *Perſona* eſt nomen abſolutum, aſt *ex parte rei ſignificatæ* Perſona, in eſſe rei eſt Relatiua; è contra Exiſtentia ex parte rei ſignificatæ eſt abſoluta: *partim* quia Exiſtentia debet proportionari & in eodem genere conuenire, cum Entitate cuius eſt Exiſtentia, ſolùm *quoad rationem communem* ſubſtãtiæ & Accidentis: quia Eſſentia & Exiſtentia debent conſtituere vnũ per ſe; hincq; Exiſtentia Accidentis non poteſt conuenire ſubſtantiæ; Non tamen Eſſentia & Exiſtentia debent proportionari *quoad rationes particulares;* quia in alijs generibus vnum genus poteſt aliud reſpicere; ſic Potentia reſpicit actum, Entitas modum; & ex tali Entitate & modo illius poteſt fieri vnum per ſe: vt patet in Habitu & eius Exiſtentia & tamen Exiſtentia Habitûs, non eſt Habitus, nec reſpicit obiectum.

Ratio tertia. Quia Omnis realis productio, tendit ad Exiſtentiam rei productæ; vel vt communicandam vel vt producendam.

Ergô etiam in Diuinis Perſonalis productio v. g. Generatio Actiua, tendit ad Exiſtentiam eſſentiæ Abſolutam, vt communicandam; *partim* quia licet Productio debeat terminari ad exiſtentiam, non tamen illam debet producere; *tum* quia pro priori Originis licet, ſupponatur exiſtentia in Patre, non tamen vt Filio communicata: *tum* quia Rem producere eſt illam conſtituere exiſtentem: quòd poteſt fieri vel exiſtentiam producendo vel exiſtentiam de ſe improductam communicando: *partim* quia Productio ſub conceptu productionis debet terminari ad productum vel *vt Quo*, Formale, aut Completiuum: vel *vt Quod*: ſicut enim *ex parte Agentis* eſt, & id vt Quod (.ſ. ſuppoſitum) & id vt Quo, formale .ſ. increatis *Forma*; in Diuinis *Eſſentia*: & id vt Quo Completiuum .ſ. *Exiſtentia*. Ita *ex parte termini producti*: Productum *vt Quod*: eſt Perſona & ſuppoſitum. Terminus formalis *vt Quo*, communicatus, eſt Eſſentia Diuina; Terminus Completiuus *vt Quo*, eſt Exiſtentia communicata; ſicut v. g. Intellectio & viſio terminantur ad viſum & intellectum *vt Quod*, ſed in prima intellectione per quam *Ens vt Quod* intelligitur: & dum intelligitur homo, Ens ſe habet *vt Quo* ſaltim explicitè: quòd ſi implicitè *vt Quod* intelligitur, ideo eſt, quia continetur intra ſphæram *vt Quod* intelligibilis; iam autem Exiſtētia & Natura Diuina; non ſunt intra ſphæram producibilis *vt Quod*, ideoq; Exiſtentia non poteſt ſicut & Natura Diuina produci *vt Quod*. *partim* quia Eſſentia improducta & Filiatio producta differunt in ratione Exiſtentiæ: non prout Exiſtentia ſumitur *Completiuè* quæ ponit rem extra nihil; ſed prout ſumitur pro Entitate rei, vt eſt ſubiectū exiſtentiæ, & ſic quælibet res ratione ſuæ actualitatis Entitatiuæ, eſt extra nihil *Inchoatiuè*; conſequenter in hoc quòd eſt *Res eſſe extra nihil*, poteſt ſtare diuerſitas, ſine diuerſitate in exiſtentia. *Vel*. Filiatio & Eſſentia, in hoc quòd eſt eſſe *Extra nihil completiuè* conueniunt: licet quoad modum differant: nam Eſſentia *A ſe*: Filiatio *ab alio* .ſ. per communicationem habet Exiſtentiam.

XI. PERSONA quoad ſuam formalitatem, propriè reperitur in Deo: 2. vnde huius nominis *Perſona Diuina* formale ac directum ſignificatum, eſt Relatio in Concreto: 3. Vel Relatio formalitate rei: 4. non tamen formalitate Obiecti ſignificati: 5. conſequēter, nec ſecunda Intentio: 6. nec aliquid negatiuum: nec Eſſentia Diuina ſumpta pro *Natura*, poteſt eſſe formale ſignificatum prææallegati Nominis: 8 Attamen Perſona Diuina non addit ſupra Naturam aliquid ab illa realiter ex natura rei, aut diſtinctione modali diſtinctum: 9. *è contra* Perſona creata addit aliquid realiter diſtinctum à Natura: 10. ſcilicet Modum complentem naturam & conſti-

constituentem Concretum substantiale receptiuum *vt Quod* Existē-
tiæ, ac Incommunicabile alteri tanquam supposito.

Ratio primi. Quia iuxta Symbolum Diui Athanasij: Alia est Persona Patris, alia Filij, alia Spiritûs Sancti. T. q. iuxta Boetium Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia; iam autem quælibet Personarum Diuinarum *Primò* est substantia, *non absolutè* quia sic idem est quod Essentia: *non incompletè*, quia sic quælibet pars integralis est substantia: non prout subest Accidentibus quia sic solū in creatis reperitur: sed prout substantia *quoad Rem* significatam dicit existere per se; *vel* Perseitate Independentiæ à subiecto Inhæsionis (quòd eis conuenit ex conceptu substantiæ) vel Perseitate independentiæ à subiecto sustentationis (quòd eis conuenit ratione subsistentiæ Absolutæ; *vel* Perseitate Incommunicabilitatis, quod eis conuenit ratione subsistentiæ Relatiuæ. *Secundò* quælibet Persona Diuina est Indiuiduum, non *Logicum* & correlatiuè se habens ad Speciem, sed Metaphysicum & Incommunicabile; vnde in Definitione Personæ Lij *Indiuidua* excludit naturas Vniuersales, & stat pro prima substantia seu Hypostasi, quæ supra singularitatem, addit Incommunicabilitatem; ratione cuius à Persona excluditur triplex Communicabilitas; Vniuersalis ad inferiora: partis ad totum: & Naturæ ad suppositum: & ideo nec Humanitas communicata Verbo, nec Natura Diuina communicata tribus subsistentiis Relatiuis, potest dici Persona, quamuis vtraq; sit completa: consequenter quælibet Persona Diuina est Indiuidua, quia prædictam triplicem à se excludit communicabilitatem: diciturq; Indiuidua, non indiuiduatione, à Materia desumpta (prout fit in materialibus,) sed ab Irreceptibilitate in materia, accepta (prout fit in simplicibus) *Tertiò* quælibet Persona Diuina est Naturæ Intellectualis, vt pote summè immaterialis: nam *Persona* significat id quod est perfectissimū in natura .s. Intellectualitatem, & modum existendi per se: vnde Persona in quantum claudit vtrumq;, dicit perfectionem *implicitè*, & præsuppositiuè quantum ad Independentiam à subiecto inhæsionis & sustentationis: non tamen *explicitè* & formaliter, quantum .s. ad perseitatem Incommunicabilitatis quæ præscindit à perfectione & imperfectione;

Ratio secundi. Quia sola Relatio in Concreto, est *vt Quod* subsistens. Distinctum & Incommunicabile, *seu* est subsistentia Personalis Diuina: vnde ex Natura & Relatione, conflatur huius nominis *Persona Diuina* directum significatum, quod est Relatio in Concreto, non sub conceptu formæ *Referentis* (alias Persona Diuina diceretur Relatiuè, & consequenter sicut Pater est Filij Pater, & Filius est Patris Filius: ita diceretur Pater Persona Filij & Filius Per-

ſona Patris) verùm ſub conceptu formæ *Hypoſtaticæ ac ſubſiſtentis*; ſiquidem Perſona Diuina, non Relatiuum ſed Abſolutum eſt nomẽ, & ad ſe; iam autem Nomen abſolutum conſtituitur per ſignificationem abſolutam à ſignificato abſoluto prouenientem. Porro Relatio in abſtracto ſumptæ, eſt obliquum ſignificatum quia eſt forma & *vt Quo* conſtituens Perſonam Diuinam; hinc *Perſonalitas* directè ſignificat formam conſtituentem: *Perſona* directè Rem conſtitutã; & indirectè formam conſtituentem. Item *Perſona* in ſuo ſignificato directo (quod eſt ſubſiſtens Incommunicabile) admittit Diuinam Eſſentiam indirectè: Attamen Eſſentia & Natura Diuina formaliter prædicatur de Perſona Diuina: nam licet Deus & Perſona, differant in ſignificato directo (etenim Lij *Deus* ſignificat Deitatem, & Lij *Perſona* ſignificat ſubſiſtens Incommunicabile) vtrumq; tamen nomen conueniunt directè in ſuppoſitione, quia *Deus* & *Perſona* ſupponunt pro habente Deitatem; iam autem ad Prædicationem formalem ſufficit habere idem ſignificatum in ſupponendo, licet non adſit idem ſignificatum in ſignificando: conſequenter iſta: *Perſona Diuina eſt Deus*: eſt formalis prædicatio concretiuè.

Et tandem Perſona Diuina ſignificando *directè* Relationes Diuinas ſub conceptu ſubſiſtentium incommunicabiliter, eaſdem Relationes ſignificat materialiter & *indirectè* ſub conceptu puri reſpectûs; *è contra* iſta Nomina *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, ſignificãdo formaliter ac directè Relationes ſub conceptu puri termini & Referentis, eaſdem materialiter & implicitè ſignificant ſub conceptu formæ ſubſiſtentis.

Ratio tertij. Quia Relatio *formalitate rei* eſt Relatio Hypoſtaticè ſubſiſtens; conſequenter ſignificatum formale huius nominis *Perſona Diuina*, cùm in Eſſe rei ſit formaliter Aliquid, non abſolutũ, nec aliquid abſtrahens ab abſoluto & Relatiuo, (aliàs Perſona poſſet per vtrumq; contrahi) omnino debet eſſe tale ſignificatum, formaliter Relatiuum.

Ratio quarti. Quia Relatio *formalitate Obiecti* eſt Relatio Referens; iam autem Formalis ſignificatio *Perſonæ* eſt *Adſe*, Materialis *Ad aliud*, conſequenter Perſonæ Diuinæ ſignificatum formale diſtinctiuum eſt *Subſiſtens in Natura Diuina*; Materiale, eſt *Relatio vel Relatiuum*: Materiale Directum eſt *Relatio in Concreto*: Materiale Indirectum eſt *Relatio in Abſtracto*.

Ratio quinti. Quia Lij *Perſona* eſt nomen primæ intentionis formaliter ſignificans ſubſiſtentiam; quæ ſumpta in abſtracto eſt cõſtitutiua Perſonæ; iam autem Perſonæ Diuinæ non conſtituuntur per ſecundam intentionem, ſed per aliquid poſitiuum reale. T. q. Perſona dicitur Indiuiduum, prout tantum eſt Remotum fundamentũ ſecun-

secundæ intentionis, significatq; modum incommunicabiliter subsistendi; iam autem ob penuriam vocum licitum est vti nominibus secundarum intentionum, (& è contra,) ad definiendas primas. T. q. Persona idem est quod suppositum: solùm in *supponendo*, non tamen in *significando*; iam autem in genere substantiæ subsistens, significari potest tribus nominibus, & quidem dicitur *primò* subsistentia, quatenus per se existit: *secundò* Res Naturæ, quatenus communi supponitur naturæ, *3tiò* Hypostasis prout accidentibus subest, in natura intellectuali.

Ratio sexti. Quia Persona in ratione Personæ constituitur per aliquid positiuum, supra quod fundatur Negatio: vnde Persona dicitur Incommunicabilis, prout Incommunicabile sumitur *Positiuè*, non autem *Negatiuè*: nam Positiuum per Incommunicabilitatem Negatiuè sumptam definiri non potest. T. q. v. g. in Patre æterno, ante negationem communicabilitatis præintelligitur aliquid positiuum Incommunicabile .s. Relatio, seu Paternitas Incommunicabilis, ex conceptu talis relationis: nam eo ipso quòd sit Relatio Originis, ita debet vni Personæ competere quòd nulli alteri competat; & hoc ad differentiam Relationis spiratoris, quæ quia fundatur in origine Spiritûs Sancti, qui est Terminus mutui amoris, petit esse duabus Personis communis. T. q. Persona vt sic est communis Analogicè, *partim* quia eius simplicitati non opponitur constitui ex duplici conceptu, quorum vnus alium implicitè includit, & è conuerso: sed tantùm ex duplici mutuo sese excludente; *partim* quia *Differre se totis*, non excludit fundamentum Conuenientiæ, secundũ quid: qualis est conuenientia Analoga; iam autem Ab vltimis distinctiuis & se totis differentibus, non potest abstrahi aliquid commune vniuocum, Positiuum sed tantùm Negatiuum; benè tamen aliquid commune Analogum, Positiuum: vt patet in nouem Prædicamentis, à quibus abstrahitur ratio Entis vt sic communis Analogicè Positiua.

Ratio septimi. Quia in Definitione Personæ, Natura Diuina importatur in obliquo; iam autem Quidquid ingreditur Definitionem alicuius rei directè in casu recto, pertinet ad significatum formale nominis quo signicatur: & quidquid in casu obliquo ingreditur, spectat ad significatum materiale. T. q. Si ingrederetur ad significatum materiale, *Personæ*, Natura ad Personæ multiplicationem multiplicaretur; etenim Non stat multiplicari Personam seu terminũ numeralem cadentem supra terminum substantiuum, & non multiplicari illius significatum formale & directum.

Ratio octaui. Quia Persona Diuina esset realiter composita: nec esset vna per simplicitatem realem, sed verè per compositionem

X realem;

realem; quamuis iuxta contrarios, inter Personalitatem & Naturã Diuinam sit omnimoda realis identitas.

Ratio noni. Quia in Deó Persona & Natura distinguuntur virtualiter; consequenter in creatis distinctione maiori .s. Reali gaudere debent T. q. Natura creata realiter potest separari à sua personalitate: vt patet in mysterio Incarnationis: iam autem separabilitas realis est signum realis distinctionis, vel *Entitatiua* si est separatio mutua: vel *Modalis* si non est mutua.

Ratio decimi. Quia talis modus superadditus est subsistentia creata, quæ primariò componit cum natura sub conceptu naturæ, quia pertinet ad substantiam vt est Ens *nominaliter* sumptum: sicut Existentia pertinet ad eandem, vt est Ens *participialiter* acceptum. T. q. talis modus complens naturam in linea substantiæ, *Nec* potest esse collectio accidentium; quia ex Natura & Accidentibus fit vnũ Ens *per accidens*: iam autem Ex Natura & subsistentia fit vnum Ens *per se*. *Nec* actio productiua naturæ substantialis: quia in Deo datur ad intra subsistentia absoluta communis tribus Personis Diuinis, & tamen ad intra, non datur actio productiua communis: T. q. subsistentia Personalis Verbi non in generatione passiua, sed in Termino generationis consistit. Similiter Actio productiua hominis nõ est subsistentia ipsius, cùm Actio transeat, & subsistentia permaneat. *Nec* ipsamet Existentia creata: quia Humanitas Christi habet propriam Existentiam, iuxta probabilem sententiam; & tamen secundùm fidem non habet propriam creatam sed Diuinam tantùm subsistentiam. T. q. In Deo dantur tres subsistentiæ Relatiuæ, non tamen tres Existentiæ T. q. Nulla forma potest constituere subiectũ receptiuum sui; iam autem subiectum Receptiuum Quod Existentiæ, est suppositum subsistens, quia est subiectum Quod, denominationis operationum.

XII. SVBSISTENTIA ABSOLVTA datur in Deo Vnica, tribus Personis Diuinis communicabilis: 2. Nec subsistentia vt dicit Perseitatem Independentiæ à sustentante: 3. sed sola subsistentia vt dicit Perseitatem Incommunicabilitatis multiplicatur realiter in Personis Diuinis. *Ratio primi.* Quia subsistentia Absoluta in Perseitate existendi consistit; iã autẽ Deus tribus Personis præintellectus, est per se existens *vt Quod*, Perseitate excludente dependentiam à sustentante; *partim* quia pro priori ad Relationes in Deo datur Natura Diuina à qua prouenit subsistentia *Absoluta*, sicut à Personis prouenit subsistentia *Relatiua*: *partim* quia in statu absoluto Deus quoad Actiones non *Notionales* sed *Essentiales* intelligitur, & est Intelligens, Volens; iam autem Actiones sunt subsistentium; *partim* quia subsistere est non esse in alio tanquam in Termino *vt sustentante*; be-

te; benè tamen esse in illo, *vt terminante* & distinguente; consequẽter subsistentia Absoluta communicabilis, non in primo sed in secundo solùm est termino: *partim* quia in Deo subsistentia Relatiua solùm dat Perseitatem Incommunicabilitatis: iam verò In natura Creatura ab eadem forma præstatur & id quod est Perfectionis .s. *subsistere independenter*; & id quod non est perfectionis, .s. *subsistere incommunicabiliter*; & hoc subsistere incommunicabiliter, non potest in Deo præstari à subsistentià absoluta ob summam eius perfectionem; *partim* quia in statu absoluto Naturæ Diuinæ non conueniret vltima Actualitas quæ Existentia est perfectissimo modo; vnde Naturæ Diuinæ vt exercitè conueniat Existentia, non dependet in hoc à Relationibus, tanquam à Complemento exacto *ex indigentia*, [quia sic completur ab Existentia] benè tamen tanquam à Complemento exacto *ex fæcunditate* naturæ.

Ratio secundi. Quia non multiplicatur Essentia Diuina, quæ secundùm se est subsistens. T. q. Attributa & Relationes quamuis virtualiter distinguantur ab Essentia; & tamen in vtrisq; non multiplicatur; *Nec* Existentia ob sui infinitatem: *Nec* ratio substantiæ, ob sui lineam absolutam: *Nec* ratio increati: ita pariter, subsistentia vt dicit perseitatem independentiæ est immultiplicabilis in vtrisque T. q. ante Relationes Deus est Existens & subsistens *vt Quod*: ideoque Essentiæ Diuinæ iam præexistenti & subsistenti aduenìunt Proprietates Personales, quoad Perseitatem Incommunicabilitatis quam secum afferunt, von verò quoad Perseitatem Independentiæ quam inueniunt, & accipiunt; ac proinde v. g. *Paternitas* est ratio Patri subsistendi in natura Diuina; solùm quoad perseitatem Incommunicabilitatis: & ad Essentiam non addit rationem substantiæ *Essentialiter* seu per se existentialiter, benè tamen *suppositaliter*; *vel* ad Essentiam non addit Perseitatem Independentiæ à subiecto *sustentationis*, addit tamen Perseitatem Independentiæ à subiecto *Inhæsionis*; sic in eodem Composito substantiali vna est Perseitas independentiæ à subiecto sustentationis, & plures sunt Perseitates independentiæ, Oppositæ subiecto Inhæsionis; Et tandem *Paternitas* ratione sui, excludit omnem Dependentiam *Realem*, ab omni realiter à se distincto: non tamen *Virtualem* ab alio virtualiter à se distincto: ideoq; virtualiter dependet ab Essentia à qua sustentatur, non tanquam *à supposito* [alias Essentia Diuina & Hic Deus, esset Persona ac incommunicabilis] sed tanquam *à subsistente*: quo etiam modo Attributa sustentantur. T. q. ideo Personalitas creata ratione sui vtramq; præstat Perseitatem, quia Natura creata ob sui imperfectionem, ante Personalitatem, nec est subsistens, nec est existens; Ergo è contra, quia in Deo Natura ante Personalitates est subsistẽs

 & Exi-

& Existens, ideo Personalitas Diuina vnicam tantùm præstat Perseitatem Independentiæ. Et hinc colligitur vtramq; Perseitatem non esse de ratione Personalitatis, ex communi conceptu: sed tantùm Incommunicabilitas, est de ratione Personalitatis in abstracto, iam autem vtraque Perseitas est de ratione Personæ in Concreto.

Ratio tertij. Quia subsistentia non solùm dicit subsistere vnicũ, sed etiam Indiuisionem & Incommunicabilitatem, quæ pertinet ad lineam Relatiuorum. T. q. In Deo sunt tres Personæ; iam autẽ Persona pro formali significato habet Relationem in Concreto, quæ *vt forma Hypostatica est*, Perseitatem Independentiæ; *vt Relatio est*, Perseitatem Incommunicabilitatis constitutiuæ Personarum importat. T. q. Multiplicato Principio *Quod*, Actionis notionalis, debet multiplicari ratio subsistentiæ, cùm actiones sint suppositorum; iã autem Pater æternus est Principium *Quod*, generationis: consequenter subsistens. Et idem de Spiratore ac termino illius Corellatiuo. T. q. in Mysterio Incarnationis Persona Verbi terminauit Humanitatem, & reddidit personatam ac subsistentem incommunicabiliter; ita pariter, Paternitas reddit Naturam Diuinam incommunicabilem alteri Personæ, *quoad modum & inadæquatè*; hinc subsistentia est vltimus Terminus in propria linea: id est subsistentia Personalis, non potest terminari alia subsistentia Personali: Nec subsistentia Independentiæ potest terminari alterâ eiusdem rationis Independentiâ; bene tamen Perseitas Incommunicabilitatis, potest terminari perseitate Independentiæ tanquam termino diuersæ rationis.

XIII. Quæ Personis competunt ratione solius Essentiæ, *singulariter* tantùm dicuntur in Diuinis: 2. quæ solùm ratione proprietatum personalium, dicuntur *pluraliter*. 3. quæ autem & ratione Essentiæ & ratione Proprietatum Personis conueniunt, & pluraliter & singulariter de Deo dicuntur. *Patet Primum.* Quia sicut ipsa Essentia, ita & tota linea Absolutorum ratione solius Essentiæ conueniens Personis, est implurificabilis. *Patet secundum.* Quia linea Relatiuorum plurificatur: nam in Deo tres Personæ dicuntur. *Patet tertium.* Quia prædicatum ad vtramquè lineam tam .s. Absolutam quàm Relatiuam pertinens, iuxta illarum exigentiam debet se habere. Et tale prædicatum est *subsistentia* quæ singulariter & pluraliter dicitur. Et ex hac præallegata Conclusione & regula infertur Primò, In Diuinis *Existentiam* dici tantùm singulariter: quia est absoluta. Similiter *Infinitatem* quia hæc consequitur perfectionem & quantitatem virtutis in Deo immultiplicabilem. Et tandem ipsam *Veritatem*: *partim* quia veritas consistit in Entitate vt intelligibili: iam autem Intelligibilitas competit Personis Diuinis ratione Essentiæ, rationem

Speciei

Speciei intelligibilis & obiecti motiui, respectu sui, Attributorum & Relationum habentis: *partim* quia Veritas sicut & Cognoscibilitas fundatur in Immaterialitate, quæ consistit in exclusione omnis potentialitatis, seu in ratione actûs puri, qui in Deo est vnicus & simplicissimus; ideoq; istæ Propositiones. *Pater generat: Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedit*: solùm differunt Materialiter & ex parte substractorum, non tamen Formaliter, quia conueniunt in eadem immaterialitate actûs purissimi, & in esse scibilis, substant lumini eorundem principiorum, consequenter sunt veræ tam in cognoscendo, scibiliter, quàm in essendo transcendentaliter Veritate Primâ & Æternâ.

Infertur secundò. Ens substantiuè acceptum, quatenus est Cõcretum Existentiæ & Essentiæ non prædicari pluraliter in Deo: 2. quatenus autem est Concretum Entitatis vt oppositæ nihilo, sic pluraficatur. *Primum patet.* Quia nomen numerale, cadens supra substantiuum, numerat formas, & in Adiectiuo numerat supposita; iam autem Ens in vtroq; Concreto directè significat Essentiam & Existentiam quæ sunt nomina substantiua: consequenter Ens absolutè sumptum est Concretum Essentiæ prout est principium Existentiæ. *Secundum constat.* T. q. Ens in secunda acceptione est Transcendens; iam autem, Transcendentia ad Substantiam & Relationes (sicut & *Res*) pertinent. T. q. Personæ Diuinæ inter se distinguuntur Entitatiuè; iam autem Non stat distinctio Entitatiua, sine distinctione Entitatum T. q. Pater (iuxta Concilii Lateran: definitionem) totam Essentiam dedit Filio: prout significatur nomine Entitatis Absolutæ: non tamen totam, prout signicatur vt opposita nihilo, quia ei non dedit Paternitatem: quæ est Entitas cum addito.

Infertur tertiò. Tres Personas non posse dici *tria Indiuidua.* Quia nomen *Indiuiduum* cùm sit substantiuum, non potest multiplicari sine multiplicatione formæ: quæ est Natura Diuina: per Lij Indiuiduum, de formali significata; quæ tamen in Definitione Personæ per Lij *Indiuidua substantia* de Materiali, & Personalitas de formali importatur T. q. Indiuiduum est indiuisum in se, & à quocunque alio diuisum *diuisione Naturæ*, non autem solùm *diuisione Personali*; iã autẽ Personæ Diuinæ sunt vnũ in Natura. T. q. Indiuiduũ in ratione Indiuidui constituitur formaliter per Naturam; cõsequẽter Pluralitas substantiui Indiuidui petit pluralitatem & Naturarum & suppositorum, & deficiente pluralitate suppositi, tantùm dicitur *singulariter*; licet multiplicentur Naturæ diuersæ: patet in Christo Domino, qui dicitur vnum Indiuiduum vnitate suppositi non Naturæ. T. q. In Diuinis sunt tres vnitates singulares Personalitatum, non Naturarum: ideoq; Personæ dicuntur & *Vna Res* quæ est Essentia: & *plures*

 Res

Res quæ ſunt Perſonæ: ſicut & vna vnitas, ratione Eſſentiæ: & tres vnitates, ratione Relationum: *partim* quia pluralitas ſine diſtinctione vnitatum non ſaluatur: *partim* quia vnitas conſiſtit in realitate indiuiſa: iam autem Realitas & indiuiſio conuenit cuiuis ex Perſonis Diuinis.

XIV. Nomina Vnitatem Eſſentiæ & pluralitatem Perſonarum declarantia ſunt iſta. 1. Deus dicitur *Trinus & Trinitas*: quia iſta nomina tantùm ſignificant abſolutè numerum trium Perſonarum, ſine diminutione ſimplicitatis, vel additione inæqualitatis; Non dicitur *Triplex & Triplicitas*: quia *Triplex* opponitur ſimplicitati, importando compoſitionem & inæqualitatem Proportionis, Deo repugnantem. 2. Filius dicitur *Alius* à Patre, non Aliud, ſeu Aliquid, quod idem eſt, ac *Aliud quid*: & dicitur *vnum, non vnus cum Patre.* Quia nomen Neutrum, ſignificat aliquid magis confuſum & nondum formatum: at Maſculinum è contra: vnde quia proprium eſt ſuppoſiti diſtinguere ac formare; ideo Nomina Maſculina Perſonis, & Neutra Eſſentiæ attribuuntur. 3. Et ob iſtam rationem nomen & prædicatum *Aliquod* non plurificatur in Deo: quo circa Filius non dicitur nec Aliud nec Aliquod ſuppoſitum à Patre: quia ſubſtantiuè dicitur, coſequēter *Aliquod* ſignificat, nō aliud quod, alietate ſuppoſiti, ſed alietate naturæ; Et etiam quia eſt affectio Entitatis ſumptæ pro Eſſentia quæ eſt immultiplicabilis, non autem prout opponitur Nihilo, quæ multiplicatur; proindeq; tantùm Adiectiuè poſſumus dicere *Tres aliquos, in Diuinis.* 4. Iſta: *Diuerſus ac Differens* quia importāt diſtinctionem in forma: *Separatus ac Diuiſus*, quia tollunt ſimplicitatem Dei: *Diſpar* æqualitatem, *Diſcrepans* ſimilitudinem, *Singularis*, Eſſentiæ vnitatem: *Vnicus* numerum Perſonarum: *Solitarius* conſortium, excludunt, ideoq; tam in Abſtracto quàm in Concreto ſumpta excluduntur à Deo. 5. Dictio excluſiua *Solus* ſumpta *Cathegorematicè*, nequit addi termino eſſentiali, quia denotat ſolitudinem oppoſitam ſocietati Perſonarum eiuſdem naturæ: accepta *Syncathegorematicè*, ſolùm excludit alia diuerſæ naturæ à conſortio prædicati: vnde iſta: *Solus Deus eſt æternus, Omnipotens* &c. eſt vera: quia alia à Deo æterna non ſunt; ideoq; ſi in Diuinis eſſet tantùm *Pater*, cum Angelis, diceretur *Solus*, quia Angeli ſunt diuerſæ naturæ ab illo: ſicut homo in horto cum floribus, dicitur *Solus*. Angelus vt Homo in Beatifica Viſione non eſſent ſoli, quia vterq; conueniunt in gradu Intellectualitatis ſecundùm ſpeciem athomam in ordine ad ſupernaturalem Beatitudinem penes potentiam Obedientialem; Duo Angeli in ſtatu Naturæ puræ, conuenirent in ſocietate ſpecifica, ſecundùm conuictū politicum in modo operandi, & diſconuenirent in ſpecie Metaphyſica; & ideo iuxta primum ſenſum, non eſſent ſoli.

XV. CO-

XV. COGNOSCIBILITAS Myſterii Sanctiſsimæ Trinitatis non eſt rationi naturali contraria: 2. attamen nullus intellectus creatus nec Poſsibilitatem: 3. nec Exiſtentiam huius myſterii euidenter valet demonſtrare: 4. etiam præſuppoſitâ Reuelatione: 5. quâ tamē poſitâ dantur rationes probabiles naturales Exiſtentiæ huius myſterii: 6. ſuppoſitâq; illius Exiſtentiâ poteſt de ipſius conuenientia haberi Theologica demōſtratio. *Ratio 1mi.* Quia verũ vero non poteſt eſſe contrariũ *Seu* Quod non eſt Obiecto rationis naturalis contrariũ, nec ipſi rationi naturali poteſt eſſe contrarium. *Similiter.* Quod nō eſt contrarium Termino naturalis inclinationis, Naturæ vt Rationalis eſt, nec ipſi naturæ rationali contrariari debet; vnde ſicut Natura rationalis *vt volitiua eſt* tendit *in Bonum* per inclinationem, licet ſit indifferens, quoad elicientiam ad actum bonum & malum; *ita vt Intellectiua eſt*, tendit per inclinationem *ad verum*, licet quoad elicientiam ſit indifferens ad aſſenſum verum vel falſum: iam autem Miſterium Sanctiſsimæ Trinitatis non poteſt eſſe aſſenſui vero contrarium. T. q. Axioma: *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, dictatur à ratione naturali, quoad Vnitatem Re & Ratione; non verò quoad vnitatem Realem ſolam, ſine vnitate Rationis. *Vel* Quæ ſunt eadem vni tertio *Adæquatè*: hoc Ratio naturalis dictat: non verò vni tertio *Abſolutè*, quia nec hoc, nec oppoſitum illius dictat. *Vel* tandem Rationem naturalem dictare, quoad rationem Identitatis cum tertio; non verò quòd in vniuerſum ſint idem Abſolutè, ſed circa hoc ratio naturalis ſuſpenditur; iam autem Perſonæ Diuinæ inter ſe diſtinctæ, ſunt idem in Eſſentia Diuina, quæ eſt medium & ratio identitatis: vnde quamuis realiter inter ſe diſtinguantur, non ſequitur Myſterium hoc rationi naturali aduerſari. T. q. Intellectus huic propoſitioni: *Inter Principium & Terminum Proceſsionis, datur realis diſtinctio*: Vniuerſaliter aſſentitur: *tum* quia ita in creaturis contingit: *tum* quia patet ex terminis; iam autem huic: *Identitas cum pluribus realiter inter ſe diſtinctis, non poteſt vni eidemq́ competere*: intellectus non aſſentitur ſeclusâ fide: quia in tota natura non inuenitur Principium, id neceſſariò & euidentiâ illationis inferens. T. q. Myſterium hoc ſuperexcellentiſsimum, opponitur Aſſenſui probabili Falſo non Vero: conſequenter quòd opponatur aſſenſui falſo, non ſequitur opponi Rationi naturali: *partim* quia Ratio naturalis abſolutè ſumpta ſupponit determinatè pro ratione vera: *partim* quia Rationalis natura inclinat ſolùm in aſſenſum non falſum ſed verũ, à quo perficitur, ſicut etiam perficitur ab Habitu opinatiuo inclinā te in aſſenſum probabilem verum: non verò falſum; quia Habitus Opinatiuus cùm ſit virtus, non poteſt ab illo procedere actus falſus

moraliter: sed semper erit verus *practicè*, licet *speculatiuè* posſit esse falsus: vt patet in adoratione hostiæ non consecratæ, & ab intellectu vt adorandæ, propositæ voluntati; iam autem In dissensu Mysterii Sanctissimæ Trinitatis nulla Veritas aut Bonitas reperiri potest, nec Speculatiua nec Practica, in quam Ratio naturalis inclinaret.

Ratio secundi. Quia si posset demonstrari *vt Possibile* per rationem naturalem, etiam posset demonstrari euidenter *vt Existens:* nam Lumine naturali notum est, quòd Deo conueniat omne possibile, ne sit in potentia ad aliquam perfectionem, intrinsecamque entitatem.

Ratio tertij. Quia Math. 16. D. Petrus non ex reuelatione carnis & sanguinis, (id est non ex cognitione Intellectuali à sensibus dependente, nec ex cognitione Intellectuali Angelica, vel Animæ separatæ) sed ex reuelatione Patris Cælestis hoc Mysterium confitetur. T. q. Mysterium Sanctissimæ Trinitatis non potest euidenter demonstrari *Nec à Priori.* Quia Diuinitas quæ sola potest esse ratio à priori Trinitatis Personarum, non est Comprehensiuè aut Quidditatiuè cognoscibilis ab intellectu creato sibi relicto, nec quoad *An est* prout radicat Trinitatem Personarum: *Nec à Posteriori: partim* quia effectus cogniti ab intellectu creato non procedunt à Deo *Per se* vt Trino sed Vno: *partim* quia procedunt ab Omnipotentia Diuina *Proximè*, & *Remotè* à Natura Diuina: quòd vtrumq; est in Deo antecedenter ad Relationes. T. q. Bonum infinitum esse infinitè communicabile, solùm *ad extra* & ex parte modi communicandi (in quantùm scilicet res creat ex nihilo) lumine naturali cognoscimus: at ex parte rei communicatæ *ad intra* Non; *partim* quia Potentia sese communicandi & Actualis communicatio ex parte rei, est ad intra conformis Bono increato solùm *in Re*; non verò *Quoad nos* & in esse cognoscibilis; sicut *è contra*, Communicatio in creaturis est conformis Bono creato tam *in Re* quàm in esse cognoscibilis & *quoad nos*: *partim* quia Communicatio substantialis .s. Generatio in creatis, (per quam natura specifica communicatur) multiplicat naturam cum diuisione, realiterq; distinguitur à generante: & ob istas imperfectiones à se impræscindibiles, non potest suadere nostro intellectui quod Generatio in Deo reperiatur.

T. q. Deus vt Vnus & Trinus est omnino supernaturalis *Entitatiuè*: in esse cognoscibilis, Cognitione euidenti, Intuitiuâ, & Quidditatiuâ ac Immediatâ, etiam est omnino supernaturalis; Cognitione Mediatâ & quoad *An est, à posteriori*, non est supernaturalis, quia sub formalitate supernaturalis non habet connexionem cũ effectibus naturalibus. *Immediata* Cognoscibilitas quæ commensu-

ratur

ratur cum eius Entitate, sequitur Entitatem in Deo, sicut & in alijs, *Mediata* verò sequitur ad Entitatem vt connexam cum illo in quo vel ex quo cognoscitur: iam autem Creaturæ causantur à Deo *vt est in se*, formalitate Causæ & Principij non autem *vt est in se* formalitate Rei. s. vnus & Trinus. Et effectus naturales sunt ab illo per se vt à Causa Naturali, supernaturales vt à causa supernaturali, Ipse quoq; homo est Imago Dei vt Vnius: per se; ast per accidens id est attentâ exigentia Naturæ Diuinæ in tribus suppositis repertæ, est imago Dei Trini. T. q. Nullus effectus cum Deo quatenus Trino est connexus. *Non supernaturalis*: quia virtutes supernaturales, & dona Spiritûs Sancti, ac ipsa Gratia Habitualis, dicuntur conformes naturæ rationali, consequenter ipsi rationi naturali, non prout Actiuæ *naturaliter*, sed prout eleuabili & Actiuæ *obedientialiter*. Similiter *Visio Beatifica* est effectus supernaturalis, lumine naturali indemonstrabilis; causaturq; perseitate effectûs à Deo supernaturali vt Vno: nam Essentia Diuina gerit munus speciei Impressæ & Obiecti *Motiui*, non verò *Terminatiui*, consequenter vt actu communicata tribus Personis non mouet *Per se*, sed solùm ratione perfectionis absolutæ, & virtualiter à Relationibus distinctæ. Ac tandem ipsa etiam *Potentia Obedientialis*, [quæ Entitatiuè est naturalis] prout supernaturalis Terminatiuè, est extra Sphæram Obiecti naturalis, & cognitionis naturalis etiam Angelicæ: quia Angelica Cognitio Cõprehensiua Naturalis, non petit obiectum adæquatè comprehendere, sed tantùm adæquatè naturaliter, id est terminari ad omnia quæ in Obiecto sunt naturaliter cognoscibilia; vnde sicut cum Obiecto naturali non connectitur Potentia Obedientialis: ita Potentia Obedientialis non connectitur cum Deo vt Trino sed tantùm vt Vno.

Naturales verò effectus manifestissimum est non connecti cum Deo vt Trino, sed tantùm vt Authore naturæ. Hinc Paternitas, Filiatio, Sapientia, Bonitas, in creatis, procedunt & participantur ab Essentia Diuina, quæ sola est continens omnem perfectionem eminenter; iam autem Relationes Diuinæ quoad Perseitatem Incommunicabilitatis & explicitè, nullam dicunt perfectionem, nisi implicitè ob inclusam in se Perseitatem Independentiæ. Et Deus antecedenter ad Relationes est perfectissimus, *Formaliter* in linea absoluta. *Radicaliter* in linea Relatiua: *Eminenter* in linea Continentiæ Eminentialis. & *Identicè* in omni linea.

Non deniq; ipsa Creaturarum habitudo dissimilitudinis connectitur cum Deo Trino. Quia Habitudo formaliter connectitur cum formali termino vel extremo: & talis terminus Habitudinis creaturarum, est Ens Increatum, sub hac ratione distinguens Deum à Creaturis. Ergo nec ex Supernaturali aliquo aut Naturali effectu,

Z nec ex

nec ex ipsa Creaturarum dissimilitudine Deus vt Trinus est attingibilis.

Ratio quarti. T. q. Præsuppositâ Reuelatione, Intellectus ex propriis nec Comprehensiuè nec Quidditatiuè potest Deum cognoscere. Quia Reuelatio non dat Creaturis dependentiam à Deo vt Trino T. q. Si intellectus ex Reuelatione procedit ad demonstrandam Existentiam Sanctissimæ TRINITATIS; iam talis demonstratio erit Theologica, non autem pure Naturalis: si procedit ex principiis naturalibus; ista Principia solùm habent connexionem cum Deo vt vno T. q. Intellectus inferior, ex coniunctione cum reuelatione & illustratione superiori Diuina, dum perficitur in ordine ad obiectum proprium, naturaliter cognoscibile; non potest in illo vel ex illo percipere inconnexa: Ergo quia Deus vt Trinus non connectitur cum Obiecto naturali nostri intellectûs, ideo suppositâ reuelatione intellectus non potest naturaliter cognoscere Deum vt trinum, consequenter circa illud Axioma: *Quæ sunt eadem vni tertio* &c. solùm perficitur Negatiuè, iudicando illud esse vniuersaliter verum in creatis, & abstrahendo ac iudicium suspendendo de Diuinis. T. q. Ideo Hæretici, suppositâ fide humanâ credunt hoc Mysterium, quia fides humana innititur testimonio extrinseco; *è contra* suppositâ Reuelatione, intellectus naturaliter existentiam huius mysterii non cognoscit: quia Demonstratio innititur principis intrinsecè connexis cum Obiecto cognoscendo; quam connexionem non potest tribuere Reuelatio.

Ratio quinti. Quia positâ Reuelatione ponitur apprehensio terminorum *Vnius & Trini*, ex qua nascitur probabilis assensus: *partim* quia difficultas illius Axiomatis: *Quæcunq; sunt eadem vni tertio* &c. iam est victa .f. quòd possint aliqua identificari cum tertio, & realiter inter se distingui: *partim* quia sicut contra negantes hoc mysterium, vtimur Sacrâ Scripturâ, apud quos admittitur, ita contra infideles vtimur defensione, non quòd probemus illud esse possibile vel non esse impossibile, sed quòd soluamus argumenta illius impossibilitatem astruentia.

Ratio sexti. Quia posito isto Syllogismo. *Cuius Potentiæ, est conueniens suus actus: Sed in Deo est potentia communicandi se ad intra duabus Personis Diuinis, Primâ improductâ manente. Ergo hæc communicatio est Naturæ Diuinæ conueniens.* Maior est naturalis: Minor est de fide: & Conclusio infert Communicationem ad intra Deo conuenientem; iam autem Demonstratio Theologica vel ex vtraque Præmissa de fide, vel ex vna de fide & altera naturali procedit.

XVI. NOTIONES dantur in Diuinis: 2. quinque 3. & nō plures.

plures. *Ratio primi.* Quia non solùm Essentialia, sed etiam Personalia in abstracto, opus est significare ad responsionem dandam interrogantibus. v. g. Ad interrogationem, *Quo aliquid constituitur?* R. per significatum formale *Quo*: nam nomen Concretum habet se *vt Quod.* Ad interrogationem, *Quo constituitur Pater?* R, Paternitate. Ideoq; Notio *est Ratio propria cognoscendi Personam Diuinam:* & habet istas conditiones 1. Notio significet aliquid pertinens ad Originem: 2. sit vnum vel Personaliter vel in ratione principij: 3. pertineat ad dignitatem .s. ratione Essentiæ in Personalitate inclusæ, 4. semper significetur in abstracto, nam Principium formale cognoscendi Obiectiuè, congruentius in abstracto significatur: 5. quòd non distinguatur virtualiter à Relationibus & Proprietatibus, vnde Relatio ad Correllatiuum, Proprietas ad Personam, & Notio ad intellectum cui manifestat, dicitur. 6. quòd Notio excludat omne absolutum: & omnem respectum ad Creaturas: & omnem communitatem rationis seu omne quod est commune communitate Rationis. *Ratio secundi.* Quia in Patre est Innascibilitas & Paternitas: in Filio est Filiatio: in Patre & Filio, vt sunt vnum Principium Spiritûs Sancti, est *Actiua*; & in Spiritu Sancto est *Paßiua* Spiratio. Cùm enim duæ sint Processiones & quælibet duplicem habeat positiuum ordinem, *primum.* Eius à quo est alius, *& secundum* Eius qui est ab alio: iam quatuor erunt Notiones; & cùm detur Ordo Originis negatiuus, *Eius à quo est alius & qui non est ab alio* iam dabitur quinta Notio .s. Innascibilitas: quæ pro formali importat negationem Processionis Passiuæ, pertinetq; ad dignitatem, circumlocutiuè notificando Personam Intellectualis naturæ Primam. *Ratio tertij.* Quia Nec *Ingenerabilitas* respectu Spiritûs Sancti: nec *Inspirabilitas* respectu Filij, possunt esse Notiones, cùm creaturis cōueniant; etenim Quò affirmatio est specialior, eò vniuersalior est eius negatio: *& è contra*: Quo vniuersalior fuerit affirmatio, eò illius negatio est contractior: nam v. g. negatio animalis, est limitatior quam negatio hominis, quia animalis affirmatio vniuersalior est, affirmatione hominis. Quia ergo Inspirabilitas, est negatio peculiaris Processionis per voluntatem: & Ingenerabilitas est Negatio alterius Processionis peculiaris per intellectum: iam verò Innascibilitas est negatio Processionis vt sic, quæ vniuersalior est quā duæ primæ, hinc est quòd primæ negationes vniuersaliores sint, nec ad intellectualem naturam coarctatæ, ideoque dignitatem non denotant: ast Innascibilitas coarctatur ad naturam intellectualem, connotando pro fundamento suppositum per modum *conditionis*, vt denotet dignitatem: ad differentiam Inspirabilitatis, nam *Inspirabilitas prout in supposito intellectuali* dicit non puram conditionem,

ſed rationem formalem denotandi Dignitatem. Cuius diſcriminis ratio exinde colligitur. Quia eo ipſo quòd intelligamus negationem omnis principii in Entitate poſitiua, iam per legitimam conſequentiam [nullo alio addito & expreſſo] inferimus Talem Entitatem eſſe intellectualis naturæ & Diuinæ; conſequenter Entitas poſitiua & connotata à Negatione, non erit Negationi ratio formalis denotandi dignitatem, quia poteſt eſſe Entitas poſitiua, & non eſſe intellectualis; iam autem eo ipſo quòd intelligamus Negationem Spirationis in Entitate poſitiua, iam per legitimam conſequẽtiam non poſſumus inferre, Talem Entitatem eſſe intellectualis naturæ & Diuinæ, quia poteſt eſſe Entitas Poſitiua non ſpirata, intellectualis non eſſe, & conſequenter huic negationi ratio formalis denotandi dignitatem eſt fundamẽtum, quod eſt ſuppoſitum intellectualis naturæ.

Et tandem Potentia generatiua & Actualis generatio, non ſunt Notiones: quia *in Recto* important perfectiones abſolutas, inter ſe virtualiter diſtinctas; iam autem Notio ad ordinem Originis ſpectans, non poteſt conſiſtere in abſoluto, ſi autem *in obliquo* ſumantur, prout important Paternitatem, ſic non diſtinguuntur virtualiter adæquatè: quia eadem Paternitas, conſtituit & Patrem in ratione Perſonæ, & Potentem, & actu Generantem vt connotata ad Filium; conſequenter ſecundùm Obliquum etſi ſint Notiones, non tamen à Paternitate & inter ſe diſtinctæ.

Similiter quoque ratio Verbi, Imaginis, & Filij, non augẽt numerum Notionum, quia inter hæc omnia non eſt adæquata virtualis diſtinctio, quoad Relationem *in Recto* ab ipſis importatam, quia perfectiones abſolutæ quas in Obliquo dicunt, non ſunt conſtitutiuæ Notionum.

XVII. SACROSANCTVS ÆTERNVS PATER obtinet rationem Principii 2. Et hoc nomen Pater, eſt proprium Primæ Perſonæ, 3. ſumptumq; perſonaliter per priùs dicitur in Diuinis: 4. Eidem quoq; Fonti ſuperſubſtantiali Deitatis, proprium eſt eſſe Ingenitum ſeu Innaſcibilem, de formali negationem importando: 5. vnde in ratione Notionis, nihil poſitiuum diſtinctum à Paternitate Obiectiuè adæquatè eſt fundamentum negationis Ingeniti ſeu Innaſcibilis 6. ſed eſt ipſa Paternitas prout immediatè coniungitur cum Natura Diuina in ratione formæ Hypoſtaticæ. *Ratio primi.* Quia Pater eſt à quo procedit Filius: iam autem Principium eſt à quo procedit alius. Filius tamen non dicitur *Principiatum*, quia hoc nomine ſignificatur minoritas & dependentia: nec quoq; Pater dicitur *Cauſa* Filij, quia Cauſa tam alietatem quàm dependentiam petit. Et Prioritas quæ eſt inter Patrem & Filium, eſt ſola *Originis*, quia hæc in-

hæc intraneitatem ac æternam dicit Proceſsionem, *non Naturæ* quia hæc importat cauſalitatem.

Ratio ſecundi. Quia Paternitas diſtinguit Primam Perſonam ab omnibus alijs, prout ſignificatur hoc nomine *Pater* dicto de illa ſubſtantialiter: vnde Pater in præſenti ſumitur, prout eſt caput & membrum Principale Analogiæ, ſic enim ſignificat rationem conſtitutiuam & diſtinctiuam Primæ Perſonæ; non autem ſumitur prout eſt nomen Analogum Creaturis & Deo conueniens.

Ratio tertij. Quia Perſonaliter ab æterno dicitur Pater Filij Diuini: ſicut Eſſentialiter dicitur Pater Creaturarum in tempore; iam autem Æternum priùs eſt temporali. T. q. Perfecta ratio Paternitatis ſolùm in Patre reſpectu Filij Diuini ſaluatur, vt pote inter quos eſt perfecta ſimilitudo in ratione naturæ, non verò reſpectu Creaturarum, deficientem ſimilitudinem & per modum veſtigii habentium; iam autem priùs dignitate & intellectu dicitur nomen de illo in quo eius ſignificatum ſaluatur perfectè, quàm de illo, in quo imperfectè ſaluatur.

Ratio quarti. Quia Pater eſt primum Principium; iam autem Primum Principium dicit, & ordinem ad ea quæ ſunt à Principio, & negationem Principii; conſequenter Eſſe ingenitum in Patre æterno, importat negationem eſſendi ab alio Omnis Principii, tam Productiui quàm Communicatiui: quòd nulli alteri Perſonæ Diuinæ competere poteſt.

Ratio quinti. Quia hoc Poſitiuum *Nec* poteſt eſſe Abſolutum: nam Abſoluta ſunt communia: & Notio Ingeniti, eſt propria Patri. *Nec* Relatiuum Prædicamentale, relatione quinrâ ab alijs diſtinctâ, quia id aſſerere eſt temerarium; Et ſi hoc eſſet, non diſtingueretur *Ingenitum* in ratione Notionis à Paternitate & Spiratione: nam Complexum ex duabus notionibus, Notio diſtincta non eſt: *Nec* Relatiuum rationis Primi Principii: quia Negatio hæc realis eſt, expoſcens fundamentum reale; Neq; Relatio rationis poteſt importare dignitatem; quam Notio requirit, iam autem *Ingeniti* negatio, notificat circumlocutiuè & id quod eſt Dignitatis .ſ. immediatam terminationem Naturæ Diuinæ: & id quod eſt Perſonale .ſ. Primatum Originis. *Nec* Relatiuum Tranſcendentale, quia Relatio Trãſcendentalis conſiſtit in dependentia ab alio, formalitatibus Diuinis repugnante: ideoq; Relatio Tranſcendentalis quâ Pater indiuisè reſpiciat Filium & Spiritum Sanctum non datur, Tum etiam, quia non datur in Patre influxus communis, quo indiuisè influat in Filium, & Spiritum Sanctum, ac proinde non datur vnus reſpectus Tranſcendentalis quo adæquatè vtramq; Perſonam reſpiciat.

Ratio ſexti. Quia ipſa Paternitas eſt quid Poſitiuum non abſolu-

solutum, ast Proprium seu Notionale: Vnde Pater æternus vocatur à Sanctis Patribus, Fontale Trinitatis Principium vt gerit munus formæ Hypostaticæ, fundantis in Patre incapacitatem essendi ab alio, & connotantis naturam Diuinam vt à se habitam. Et sub hac ratione Paternitas de materiali & fundamentaliter hoc nomine Ingenitum, prout est notio Patris, importatur: de formali verò hoc nomine Ingenitum, importatur Negatio Processionis Actiuæ & Passiuæ, quæ est virtualiter distincta à Paternitate, vt Incommunicabilitatis exercet munus: *partim* quia ex Persona Ingenita non intelligitur esse Filij: *partim* quia ex Patre infertur Ingenitus, sed non è contra: *partim* quia Notio debet importare conceptum obiectiuum ab alijs adæquatè virtualiter distinctum, ex parte non fundamenti sed formalis significationis.

XVIII. SACROSANCTVS ÆTERNVS FILIVS est Verbum Diuinum. 2. quod adæquatè & propriè acceptum, solùm personaliter dicitur. 3. & inadæquatè sumptum dicitur Essentialiter. 4. Proceditq; per se in quarto modo ex cognitione Essentiæ & Paternitatis. 5. Filiationis. 6. Spirationis Passiuæ. 7. Creaturarum Possibilium. 8. non tamen quoad suam intrinsecam Entitatem Verbum Diuinum ex cognitione libera futurorum, procedit 9. licet sub conceptu liberæ terminationis repræsentantis creaturas futuras, per se procedat ex illarum cognitione. *Primum*, est de fide, D. Ioanne attestante cap. 1. In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Ratio secundi.* Quia Verbum adæquatè acceptum debet esse *Et* Actualis repræsentatio Obiecti: *Et* ab intelligente per intellectum producta: *partim* quia adæquatè dicit Relationem distinguentem; *partim* quia est similitudo & imago producta; *partim* quia est terminus Locutionis & Contemplationis. T. q. iuxta D. Aug. Lib. 6. de Trin: cap: 2. Verbum, *Solus Filius* accipitur, non simul Pater & Filius. T. q. Id quod est Personale in Diuinis, repræsentat obiectum intellectum, veluti Repræsentatione Secundariâ, non Primariâ, quæ est necessaria ad primò intelligendũ; & talis est Essentia Diuina in qua *Hic Deus* intuetur obiectum. Hinc Repræsentatio competit Verbo, *primò* ratione Diuinæ Essentiæ quæ prout in Verbo, est ratio repræsentationis specificatiuè non reduplicatiuè; *secundò* ratione proprietatis Personalis, non adæquatè sed inadæquatè, quia *Esse productum* habet ratione proprietatis; ideoque vt Verbum dicatur personaliter, non debent ei omnia competere ratione Personalitatis. T. q. Pater in productione Verbi loquitur, *Tum Filio*, iuxta illud Ioan. 12. *Sicut dixit mihi Pater sic loquor:* explicat D. Aug. Tract. 49. Dixit veritati quia genuit Veritatem: *partim*, quia loqui, est alteri aliquid producendo manifestare *partim*,

quia

quia Filius est Verbum sui, tantùm *Obiectiuè*, sicut est Verbum Essentiæ Patris, Spiritûs Sancti, & Creaturarum repræsentatarum: Patris est, *Principiatiuè*: Audientis, est *Subiectiuè*. *Tum sibi*, quia Pater producendo Filium omnia cognoscit in illo & manifestat sibi; Etiam homo in productione Verbi mentalis loquitur sibi. Hinc Verbum Diuinum (ad nostri Accidentalis non subsistentis differentiam verbi) & Patri dicenti & sibi manifestat, quia est Persona subsistens naturæ intellectualis; & vterq; est Audiens; nec supponitur Audiens esse ignorans: cùm nos Deo omnia scienti loquamur, preces nostras audienti. Non tamen in productione Filij, Pater loquitur *Spiritui Sancto*: quia Spiritus Sanctus ex vi productionis Verbi, non accipit omnium cognitionem in illo.

Ratio tertij. Quia Verbum inadæquatè seu communiter sumptum dicit, *Et* esse manifestatiuum rei intellectæ: *Et* esse intellectum ad intra: quæ duo sunt absoluta & essentialia. T. q. Etiam nobis Deus loquitur per Verbum Externum: quod dicit ordinem ad verbum internum; non Personale, verùm Essentiale inadæquatè: nam Essentia Diuina sicut seipsâ vnitur in ratione speciei, ex qua habet quòd sit Principium intellectionis; ita seipsâ vnitur in ratione terminandi, ex quo habet quòd sit Verbum: ratione cuius datur in Deo Locutio Essentialis *Inadæquatè*, vt est manifestatio formalis; non verò *Adæquatè* vt est manifestatio, & productio. T. q. Non est de ratione verbi sub omni conceptu, procedere ab intelligente: *partim*, quia Essentia Diuina vnitur mentibus Beatorum in ratione verbi Essentialis, non vt ab eis procedens, sed tantùm vt manifestans: *partim* quia *Ratio Producti*, est vltima Differentia Verbi *Inadæquata*, non *Adæquata*, quæ sumitur ex ratione Repræsentationis, & ex ratione Producti; iam autem Destructâ solâ Differentiâ Adæquatâ, non manet constitutum; destructâ inadæquatâ, manet constitutum: *in Diuinis*; nam in præsenti, ratio Manifestationis habetur ab alio .s. ab Essentia, & ratio Productionis à Relatione: *in Creatis* non manet: nam in homine, sublatâ vnâ ratione differentiali inadæquatâ quæ est *Ratio intellectiui*, destruitur alterâ inadæquatâ, quæ est, *Ratio Discursiui*, cùm vtraq; eâdem in homine respiciat potentiam intellectiuam: Hinc esse intellectum sine expressione ab alio, est esse Verbum communiter, & non propriè: Lij *Proprium* prout contraponitur ad *Adæquatum*, & non ad Metaphoricum: & sic Verbum propriè essentialiter dicitur in Diuinis, id est non Metaphoricè; non tamet prout Proprium idem est ac Adæquatum, quia sic Verbum dicitur personaliter. T. q. ideo. *Nec Imago* dicitur Essentialiter, quia solùm dicit rationem Originis, & Imitationis; iam autem Verbum rationem Originis, Imitationis & Manifestationis: vnde Verbum &

Imago ſecundùm rem idem important quoad proprietatem Perſonalem; non tamen idem, ſecundùm modum ſignificandi. *Nec Filius*, dicitur inadæquatè eſſentialiter, quia in Eſſentialibus ratio inadæquata Filij inuenitur (.ſ. Natura Diuina communis tribus Perſonis) ſicut *Ratio Generica* & Communis; iam autem ratio inadæquata verbi (.ſ. ratio actualiſsimæ repræſentationis Obiectiuæ) in linea intelligibili ſoli conuenit Verbo, & inuenitur in Eſſentialibus ſicut *Ratio Differentialis*. *Nec ſpecies expreſſa* dicitur eſſentialiter, quia idem eſt quod Verbum Perſonale: vnde Abſolutè Verbum ſolùm dicitur perſonaliter; tum ex vſu Sanctorum Patrum: tum ex ratione producti; quâ ablatâ, iam non remaneret Verbum, in locutione abſoluta Verbi.

Ratio quarta. Quia Verbum Diuinum procedit ex cognitione Comprehenſiua Eſſentiæ Diuinæ: *In qua* & *Ex qua tanquam ex Radice* cognoſcibilis eſt Paternitas radicata; conſequenter Comprehendi nequit Eſſentia Diuina, ad hoc vt ex illa procedat Verbum, niſi comprehendatur ſimul & Paternitas; ideoq; ex eius cognitione, Verbum per ſe in quarto modo debet procedere: iam autem Illud per ſe quarto perſeitatis modo concurrit ad alicuius rei productionem, quod à tali termino per ſe exigitur vt Principium illius. T. q. Pro omni priori Originis ad filium, Eſſentia Diuina terminat Actualem Intellectionem prout eſt in Patre; conſequenter quia pro illo priori Paternitas eſt in Eſſentia Diuina, ideoq; in illa eſt cognoſcibilis. Nec Intellectio intelligitur fæcunda pro illo priori, ad productionem Verbi Diuini ſine modificatione Paternitatis. T. q. Verbum, eſt per ſe Expreſsiuum Eſſentiæ & Paternitatis: vt potè Imago realiter diſtincta ab eo à quo procedit: conſequenter per ſe procedit ex cognitione Eſſentiæ & Paternitatis: Idem patet in Verbo creato in quo quicquid per ſe repræſentatur, priùs in ſpecie Impreſſa mediâ quâ procedit Repræſentatiuè præcontinetur vnde Verbum Diuinum, ratione *Eſſentiæ* quia eſt Imago & ſimilitudo; ratione *Relationis* quia eſt Imago Producta, ideo ratione vtriuſq; repræſentat *vt Quod*; ſicut in Patre Producente vt Quod ratione Eſſentiæ eſt ſimilitudo, ratione Relationis eſt Eſſe Producens: Hinc Verbum ratione ſolius aut Eſſentiæ aut Relationis eſſet Imago inadæquatè T. q. Cognitio Diuina non ſolùm ad Eſſentiam, ſed etiam ad Paternitatem terminata, eſt per ſe Verbi Diuini productiua *vt Quo*: conſequenter ſicut vtraq; eſt cognoſcibilis cognitione ad illam eſſentialiter terminatâ, ita vtraq; eſt Repræſentabilis Verbo, ad vtramq; per ſe terminato. Et quamuis Cognitio Diuina priùs terminetur ad Eſſentiam Diuinam tanquam ad obiectum Motiuum, quàm terminetur ad Relationes, tanquam ad obiectum

ſecun-

ſecundarium, id verificatur de ſola *Prioritate A Quo*, virtuali, Obiectiua : non de *Prioritate In Quo:* quia ſine omni prioritate Rationis Cognitio Diuina Comprehenſiua ſimul attingit Eſſentiam & Relationes, vt pote eſſentialiter incluſas in Eſſentia; iam autem Prioritas In Quo, datur inter Obiectum primarium, dum ſecundarium non includitur in primario, nec per ſe connectitur cum illo.

Ratio quinti. Quia Verbum Diuinum eſt ſui expreſsiuum. 2. Ac per cognitionem Patris habet ſibi tam Naturā cōmunicatā, quā Filiationem productam, 3. Sola Intellectio Eſſentiæ prout in Patre, eſt fæcunda ad Verbi Diuini generationem : *Sola ſubiectiuè* : ſed non *Obiectiuè*: id eſt non ex ſolius Eſſentiæ, Paternitatis, ſed etiam Filiationis & ſpirationis cognitione fæcunda, procedit Verbum. 4. Et nequit comprehendi Diuina Eſſentia, niſi in illa comprehendatur Filiatio: *partim* quia pro omni priori Originis, Eſſentia, eſt radix Paternitatis & Filiationis, nam *Eſſe Radicem*, eſt Attributum Eſſentiale pro omni ſigno conueniens: Vnde in illo priori cognoſcitur Paternitas, ſub conceptu tam formæ Hypoſtaticæ, quàm Referentis: quia per conceptum Referentis Pater expreſsè conſtituitur Pater: Et Paternitas ſub conceptu formæ Hypoſtaticæ eſt ratio inadæquata & per ſe connexa cum conceptu Referentis : *partim* quia illa Prioritas *Originis* (non *Durationis*) admittit còexiſtentiam extremorum; conſequenter Notitia pro illo ſigno poteſt ad illa terminari : *partim* quia pro illo priori inter Patrem & Filium exiſtit Relatio rigoroſa, Prædicamentalis. Ergo & ſimultas Obiecti cum notitia.

Quocirca Verbum Diuinum non præcedit Exiſtentiam ſuæ cognitionis Intuitiuam: *partim* quia ſunt ſimul Cognitio Intuitiua & Verbum: eſt tamen Cognitio Intuitiua prior Prioritate Originis & *A Quo* (ſic & Scientia Viſionis eſt prior creaturis prioritate Cauſæ) non tamen prior prioritate Exiſtentiæ & *In quo: partim* quia ſola notitia Intuitiua, purè *ſpeculatiua* præſupponit ſuum Obiectum, non verò *Practica:* nam Practica efficit ſuum obiectum: patet in ſcientia Viſionis, & in notitia Intuitiua factiua Entis Rationis. Vnde Scientia Intuitiua, ſolùm pro priori *A Quo* ſtat ſine ſuo Obiecto, non *In quo*, quia ſic vtrumque eſt ſimul. *partim*, ideo notia intuitiua creaturarum in Decreto libero, non præcedit Decretum ſubiectiuè: quia pro priori ad Decretum, nihil eſt tale ex quo infallibiliter inferatur Decreti exiſtentia pro ſigno poſteriori ; ſicut *è contra*: Ex vi Decreti Intentiui, cognoſcitur Decretum Executiuum exiſtens pro ſigno poſteriori : iam autem vt obiectum intuitiuè attingatur, non eſt neceſſarium, quòd pro priori notitiæ exiſtat *in ſe*, benè tamen *in aliquo ex quo infallibiliter* inferatur. Et ita Verbum habetur & attingitur in Eſſentia vt radice & fæcunda, ex qua in eodem inſtanti pro ſigno

posteriori infertur infallibiliter Verbi Existentia. *partim* quia Verbum ex cognitione sui Abstractiua [ad quam non requiritur præsupponi Verbum vt Existens] non potest procedere: *tum* quia Verbum Diuinum procedit ex illa notitia, quam illi Pater communicat, ex vi Processionis: & hæc est Intuitiua, non Abstractiua: *tum* q. Ad notitiam Intuitiuam sufficit coëxistere in instanti In quo: vnde, quia Existentia Obiectiua Verbi, est solùm pro priori naturæ, & non pro instanti *In quo*, ideo non est obiectum abstractiuæ notitiæ: *tum* q. Abstractiua notitia præscindit ab Existentia: quæ Verbo est Essentialis: *tum* q. Verbum Diuinum procedit ex cognitione beatifica: Consistente in Intuitiua cognitione Sanctissimæ Trinitatis: itéque ex cognitione Diuinæ Essentiæ vt est *in se*, consequenter vt Physicè existentis, tribus Personis terminatæ.

Ratio sexti: & quidem prima Generalis, militans pro tribus Personis, ex quarum cognitione Verbum Diuinum procedit. Quia Cognitio Diuinæ Essentiæ *Vt* subsistentis & Existentis in se, & in tribus Personis, est *Intuitiua*: ad differentiam Abstractiuæ, naturam rei & non existentiam considerantis: *Vt* ad tres Personas per se terminatæ, est Dei *Beatificatiua*: *Vt* fæcundæ & Communicabilis Medii [in quo & ex quo Personæ & Attributa cognoscuntur] obtinens rationem, est *Comprehensiua*: iam autem Communicabilitas ista Essentiæ Diuinæ, habet ordinem prioritatis, solùm in linea *physica & Entitatiua*; non tamen in linea Cognitionis, ita vt prior sit cognitio Communicationis Essentiæ ad vnam Personam & posterior ad alteram. *Ratio Specialis.* Quia Verbum Diuinum procedit ex cognitione sui prout Spiratoris: nam Pater Æternus per suam intellectionem producendo Filium, communicat ei Spiratoris Actiui Relationem, quæ præsupponit communicatam vim spiratiuam radicaliter, vt pote Filiationi essentialem, prout est forma Hypostatica: *partim* quia sine hac, Filius non distingueretur à Tertia Persona: *partim*: quia Filius in casu impossibili, non esset idem formaliter, si non quoad prædicata specifica Filij, benè tamen quoad prædicata Indiuidualia huius Filij. *partim* quia sicut Filiatio vt Relatio est, specificatur à Paternitate, quâ destructâ destrueretur: ita eadem Filiatio vt forma Hypostatica est, connectitur essentialiter cum Spiritu Sancto, quia vis radicaliter spiratiua, & ipse conceptus Spiritoris Actiui, pertinet ad ipsam/natiuitatem Filij, qui per generationem accepit à Patre, esse inadæquatè Spiratorem; consequenter ex variatione Termini Connexionis, poneretur Variatio essentialis in Principio; ac proinde sicut vis generatiua & creatiua ad extra, per ordinem ad suum terminum cognoscitur, licet subiectiuè identificentur; ita vis spiratiua per ordinem ad Terminum spiratum. In illo ergo pri-

go priori, in quo Verbum à Patre procedit, per cognitionem Intuitiuam eminenter Practicam, iam Spiritus Sanctus est existens, cùm productio Verbi Existentiam Spiritûs Sancti antecedat prioritate A quo, non In quo, minimè extremorum coëxistentiam impediente. Non tamen Verbum procedens ex cognitione Spiritûs Sancti, est Imago illius. Quia Verbum est Imago Intentionalis illius, ex cuius cognitone procedit tanquam *Principii*, non verò tanquam *Termini*. T. q. Toti Trinitati conuenit *Dici* eo modo quo in Verbo dicitur Res intellecta. Et ista Propositio: Pater intelligendo se & Filium & Spiritum Sanctum: non in materiali & identico, sed in sensu formali est vera.

Ratio septimi prima. Quia Verbum Diuinum quoad intirinsecam suam perfectionem & Repræsentationem, ex omnium (quæ sunt in Scientia Dei) cognitione procedit; alias iuxta D. Aug. esset minùs adæquatum ad Scientiam Diuinam; iam autem Esse Repræsentatiuum, & esse Idæam Factiuam ac Principium Productiuum Creaturarum, est perfectio essentialis & denominatio Intrinseca in Verbo, non verò Extrinseca. Hinc Verbo Diuino per se competit repræsentare Creaturas, quæ per se in Scientia Dei licet secundariò continentur, & Scientia Dei ad illas per se, perseitate secundariâ terminatur. Et amplius. Quia Verbum Diuinum est *per se* Verbum Creaturæ Possibilis, non *vt Dicentis*, quia imago ipsarum non est, sed *vt Manifestati* per Verbum: *vel*, secundariò, non Primariò: *vel* est Verbum Possibilium, non in casu Ablatiuo, quia non procedit *ab illis*: sed tantùm in casu Genitiuo, quia ipsas manifestat: *vel* quoad cognitionem Comprehensiuam, non verò Quidditatiuam: *vel*, non ratione sui, sed ratione Essentiæ priùs repræsentatæ, *quòd idem est dicere:* Verbum ad Creaturas possibiles quas repræsentat, refertur, *per Accidens*, id est per aliud .s. ratione Essentiæ: vnde Lij per *Accidens*, idem est ac *secundariò* non verò prout idem est ac Accidentaliter, nam Creaturæ possibiles non contingentem, sed necessariam habēt cum Deo connexionem, vnde dicere possumus in sensu explicato, quòd Accidat Verbo repræsentare Possibilia: & non possumus dicere, quòd Accidat Verbo repræsentare Patrem; Quia Essentia ratione cuius Patrem repræsentat, est identificata cum Patre; secus autem cum Possibilibus. Quocirca Verbum Diuinum licet sit per se Repræsentatiuum Possibilium, non tamen est Imago illarum; *partim* quia ad rationem Imaginis requiritur, non quòd ex cognitione Obiecti, sed quòd *ab Obiecto* procedat. Iam autem Scientia Dei ex qua Verbum procedit, non est ab Obiectis creatis causata: Imago enim dicit Originem & Imitationem, Verbum dicit solam Manifestationem creaturarum; consequenter licet *Filius*, *Verbum*,

Imago, Personaliter sint idem, non tamen ex parte Connotatorum; & sic nec secundariò potest dici Imago creaturarum quia nec secundariò ab illis exprimitur. Similiter, Verbum ab Angelo intelligente, de Angelo intellecto formatum, est Imago Obiecti, desumpta non à rebus in se, sed vt præcontentis in Idea Diuina. *Vel* à rebus specificatiuè etsi non effectiuè, quòd sufficit.

Ratio secunda septimi. Verbum Diuinum procedit per se ex Cognitione Comprehensiua, Omnipotentiæ: *tum* quia procedit ex aliis Attributis; *tum* q. procedit vt Verbum Omnipotens, Omnipotentiâ sibi communicatâ; *tum* q. in Repræsentando est adæquatum cognitioni, ex qua procedit. Iam autem *Non potest Omnipotentia Diuina comprehendi, sine creaturis Possibilibus*; *Partim* 1. quia Creaturæ Possibiles præcontinentur *Quoad Esse*, tanquam in Causa, in Omnipotentia. Et ideo Deus cognoscit alia à se, quia se comprehendit vt Causam illarum. Similiter Anima Christi cognoscit omnia quæ sunt in Potentia Creaturæ, quia in Verbo comprehendit essentiam creaturæ; *sicut è contra*, Beati videndo omnia quæ formaliter reperiuntur in Diuina Omnipotentia, comprehenderent Deum non visis Possibilibus; iam autem, Virtus operatiua Causæ nequit comprehendi sine comprehensione omnium effectum. Hinc *Partim* 2. quia Omnipotentia non potest comprehendi, sine cognitione Possibilium in particulari: nam Cognitio Comprehensiua Omnipotentiæ Diuinæ debet attingere tam Terminum Formalem, quàm omnem Materialem. Terminus Formalis permodum rationis formalis *sub Qua*, est Essentia Diuina vt imitabilis à Creaturis. Terminus formalis per modum rationis formalis *Qui*, est Ens creabile in communi: & vterq; debet cognosci Quidditatiuè. Terminus Materialis, est quælibet Creatura in particulari; iam autem Non potest comprehendi *Causa completa* & perfectissima (qualis est Omnipotentia, respectu cuiuslibet particularis creabilis effectûs) sine cōprehensione effectuum in particulari; ad differentiam *Causæ Incompletæ* & inadæquatæ, quæ potest comprehendi, non comprehensis particularibus: sic, Angelicus intellectus comprehendit seipsum, & tamen in seipso, non comprehendit omnes in particulari cogitationes possibiles, quia est causa Incompleta illarum, sine speciebus Infusis. *Partim 3tio.* quia Omnipotentia & si non referatur Realiter ad creaturas possibiles; ab intrinseco tamen & essentialiter connectitur cum illis, tanquam cum Termino suæ connexionis; *tum* quia implicat cognosci effectum in Causa, vt in Obiecto priùs cognito, nisi Obiectum sit connexum cum effectu; sic enim non cognoscuntur Futura ante Decretum, quia cum Omnipotentia sine Decreto non connectuntur. *tum* q. implicat necessaria Dependentia Possibilium,

absq;

abſq; Termino illam neceſſariò terminante : & talis Terminus Neceſſarius eſt Omnipotentia à qua dependent Poſsibilia. *tum* q. in Omnipotentia Connexio cum independentia, nullam dicit imperfectionem : patet in Relatiuè connexis : & in Concluſione reſpectu Principij cum quo ſolùm connectitur : in Eſſentia cum paſsionibus vt poſsibilibus. *tum* q. Omnipotentiæ Potentia quò perfectior, eò maiori infallibilitate, & neceſſariâ illatione connectitur & infert Poſsibilitatem ; *è contra* Potentia productiua creata, realiter relata ad ſuum effectum. *tum* quia implicat virtus productiua abſq; poſſibilitate productionis, & productionis poſsibilitas, abſq; termini producti poſsibilitate : ſicut implicat Exiſtentia Actionis exercitæ, abſq; Exiſtentia exercita termini. *tum* q. Omnipotentia ſecundùm ſe accepta, addit ad Eſſentiam aliquid Obiectiuum, virtualiter ab illa diſtinctum .ſ. neceſſariam connexionem per modum virtutis productiuæ, cum creaturis vt producibilibus. Et tandem *Partim 4tò* probata huculq; connexio Omnipotentiæ cum Poſsibilibus, datur in illo priori, in quo Perſonæ Diuinæ comprehenduntur : *tum* q. Pro illo priori ad Perſonas Diuinas, eſt cognoſcibilis Eſſentia Diuina, prout eſt Medium *In Quo*, ex vi cuius cognoſcuntur Poſsibilia : nam ſicut pro priori ad productionem Perſonarum, ſunt Perſonæ cognoſcibiles *Terminatiuè*, ita & creaturæ Poſsibiles : quia pro illo priori Eſſentia ſeu Omnipotentia Diuina connectitur eſſentialiter cum Perſonis & cum Poſsibilibus, tanquam Medium formaliter *In Quo*, ſiuè ſumatur Entitatiuè, ſiuè denominatiuè : cum *eſſe Omnipotentem* enuncietur de Deo, non tantùm Neceſsitate connaturalitatis, ſed etiam Connexionis.

Nec eſſe Omnipotentem *Connexiuè*, eſt prædicatum ſecundarium Omnipotentiæ Diuinæ : quia Omnipotentia non ſpecificatur adæquatè nec etiam à Perſonis Diuinis ad intra productis ; alias adæquatè conſiſteret in intellectu, qui à Verbo, & in Voluntate quæ ab Impulſu ſpecificatur : nec ſpecificatur à Perſonis ſub ratione producibilis, abſtrahendo ab hac vel illa Perſona, aliàs Omnipotentia conſiſteret in formalitate communi, communitate Rationis & prædicationis tam intellectui quàm voluntati. Et dato quod Connexio cum Poſsibilibus ſit ſecundaria formalitas Omnipotentiæ Diuinæ, eſt tamen *Eſſentialis* : ſic Proprietates licet non ſint de Primaria cōſtitutione Naturæ Diuinæ, quia tamen Eſſentialiter connectuntur cum illa, ideo Natura Diuina non poteſt comprehēdi ſine illis. *Partim quintò.* Quia Omnipotentia non ſub conditione, Nonrepugnantiæ termini producibilis, ſed Abſolutè eſt vis productiua ab intrinſeco : *tum* q. Virtus productiua petit termini poſsibilitatem ; conſequenter ſicut implicat Actualis productio ad Terminum, ſub

conditione quod existat: ita implicat & vis Productiua ad terminum absolutè repugnantem, & solùm sub conditione possibilem. *tum* q. Implicat vis radicatiua passionis absolutè impossibilis, sub conditione possibilitatis, aliàs daretur in Deo vis radicatiua proprietatum aliarum vltra has quas radicat v. g. humanarum conditionatè; consequenter Attributa non adæquarent vim radicatiuam Naturæ Diuinæ. Ergo idem de vi proxima dicendum. *Partim 6tò.* Quia vna eademque Cognitio Diuina, intelligitur *priùs* terminata ad Essentiam Diuinam, quàm ad Creaturas Possibiles, solùm prioritate virtuali Obiectiua, *A Quo* non *In Quo* etiam rationis, quando Obiectum Primarium est necessariò connexum cum secundario, quòd habetur in præsenti. Hinc Dictio Verbi non est prior cognitione Possibilium. Quia Principium infinitum mouens ad duos terminos, priùs solùm mouet ad infinitum quàm ad finitum: si per se ratione ipsorum, seorsiuè moueat: secus si ad finitum moueat ratione infiniti; & sic se habet creaturarum Possibilitas cognita respectu Essentiæ. *Partim 7mò.* Ideo Spiritus Sanctus non procedit ex Amore Comprehensiuo Possibilium, quia Omnipotentia *vt Amabilis* nō connectitur cum Possibilibus [*vide Manip. 6ti. Conclus. vndec.*] iam autem connectitur cum illis, *vt Cognoscibilis*, proindeq; Verbum ex ipsarum Comprehensiua Cognitione procedit: sic Pænitentia *vt Cognoscibilis* connectitur cum peccato, & tamen *vt Diligibilis*, non connectitur cum illo.

Ratio tertia septimi. Quia Verbum Diuinum non remaneret eiusdem rationis ac modò, ablatis creaturis Possibilibus: 1. *tum* q. Ablatâ vnâ creaturâ Possibili; iam à Posteriori, non à Priori, Deus non esset Deus: quia ex destructione Possibilium à Posteriori, destruitur vis productiua infinita *ad Extra*, sine qua non stat Omnipotentia, & sine hac non stat Deum esse. 2. *tum* q. Nec Deus esset primum Ens sine Possibilibus, quia non esset summè perfectus, ex cuius perfectione ac Fæcunditate, non verò ex indigentia, Creaturæ habent esse. 3. *tum* q. Nec Omnipotentia (impossibilitatâ aliquâ creaturâ) esset eiusdem rationis ac modò est: quia Omnipotentia quæ modò est, habet in se Continentiam Eminentialem omnis rei, quæ Continentia, est intrinseca Omnipotentiæ Perfectio: consequenter impossibilitato vno lapide, maneret Omnipotentia Diuina ad omne quod in illa non implicaret: non tamen ad omne prout modò est. Ergo in illo casu quia non esset lapis possibilis, *à Posteriori* Deus nō esset Omnipotens: & Est Omnipotens quia potest hanc vel illam Creaturam: à Posteriori, & tanquam à signo Lij *Quia*, dicente rationem formalem intrinsecam, non autem causalitatem creaturarū in Deum. 4. *tum* q. sicut Defectus Potentiæ Productiuæ ad productionem

onem

onem chymæræ Negatiuus, non Priuatiuus, in Deo est ratio à priori negationis possibilitatis chymæræ: & hæc Negatio Possibilitatis chymæræ à posteriori infert negationem Potentiæ Productiuæ tanquam defectum Negatiuum tantùm: ita Positio Potentiæ Productiuæ ad productionem Possibilium, in Deo est ratio à priori Affirmationis possibilium: ex qua deinde à Posteriori, infertur Affirmatio Omnipotentiæ. 5. *tum* q. Maior necessitas ob connexionem essentialem & per se, cum termino, à Minore necessitate Possibilitatis, destrueretur, à Posteriori: etenim *Processio Verbi est summè necessaria*, tum *ob* adæquationem Necessitatis Omnipotentiæ Diuinæ, *tum ob* Possibilium ad Subsistentiam Verbi requisitarũ, tantùm à Posteriori concurrentiam, exclusâ omni dependentiâ: nam vbi est mutua Positio & vtraq; à Priori, ibi est dependentiâ; hic autem Omnipotentia ponit Creaturas à Priori, & Creaturæ ponunt illam à Posteriori. Et Omnipotentia connectitur cum ipsis, non ex indigentia sed ex summa fæcunditatis perfectione & summi boni diffusione; proindeq; ex Possibilibus ablato vno lapide, remaneret Deus & Omnipotentia, sed non eiusdem rationis ac modò est. Vnde quia alius Deus est impossibilis, per mediatas Consequentias infertur Deum absolutè non remansurum. Et tandem ex altera parte. *Possibilitas creaturarum Minorem habet necessitatem*, quia Essentiæ rerum in tali statu sunt Entia posita *Nominaliter* non *Participialiter*: habent à Deo dependentiam *Signatam* non *Exercitam*: Similiterque terminant Actionem Dei, Signatam non Exercitam: quòd totum à Verbo Diuino remotissimum est.

Ratio octaui. Quia Mutatis & non positis creaturis productis vel futuris, Verbum Diuinum, (attestante Diuo Anselmo,) quoad suam Entitatem intrinsecam remaneret ac modò est; iam autem Principium per se, alicuius Termini illud est, quo destructo destruitur & terminus. T. q. Tam quoad *Perseitatem Absolutam*, Nonexistentia seu variatio Entitatis in Verbo, est *absolutè* impossibilis: quia absolutè implicat in essentialibus variatio; iam autem variatio Liberæ Terminationis, Cognitionis Diuinæ ad futura, est impossibilis solùm *ex suppositione* .f. quòd fuerit ab æterno: iam autem, Id cuius Nonexistentia est absolutè impossibilis, non potest connecti cum eo, cuius Nonexistentia est impossibilis ex suppositione; Quàm quoad *Perseitatem ex suppositione*; talis Variatio est impossibilis; *partim*, quia Verbo Diuino ex tali suppositione solùm additur noua terminatio, non autem noua entitas: iam autem, Implicat ex se indepẽdens ab aliquo, aut ab intrinseco non connexũ cum ipso, à tali re dependere quoad suam intrinsecam Entitatem, ex aliqua suppositione, nisi noua entitas addatur ex tali suppositione: *partim*, quia Pro-

ceſsio Verbi quoad ſuam Entitatem, eſt prior, Prioritate ſubſiſtendi Conſequentiâ, quàm ſit Decretum liberum: vnde iſta: *Eſt Proceſsio Verbi Diuini quoad ſuam Entitatem intrinſecam. Ergo eſt Decretum Liberum & Scientia Viſionis:* Non valet Conſequentia: ſicut iſta. *Eſt animal Ergo eſt Homo.* non valet. T.q. Ideo Verbum Diuinum, ſecundùm cognitionem Comprehenſiuam per ſe procedit in eodem priori ex Eſſentialibus & Notionalibus: quia Notionalia in illo priori cognoſcuntur: & coexiſtunt: & eſſentialiter connectuntur cum Eſſentialibus: iam autem Decreta libera, nec coexiſtunt, nec neceſſariò connectuntur cum Eſſentialibus: vnde Verbum Diuinum procedit ex notitia ſui & Exiſtentiæ comprehenſiua; tantùm pro priori prædicatorum neceſſariorum, non autem pro priori formalitatum contingentium, ad quas ſecundariò & liberè terminatur. T.q. Scientia libera quoad Entitatem eſt indefectibilis, non quoad Terminationem: quia ergo Verbum Diuinum non procedit per ſe ex cognitione & ſcientia libera, vt liberè ad Creaturas terminata, ideo ſcientia libera non poteſt concurrere per ſe ad Verbi Diuini generationē. Et idem dicendum de futuris conditionatis: quia ſunt omnino libera ſicut & Decretum Conditionatum eſt liberum.

Ratio noni. Quia Verbum Diuinum procedit *per ſe* ex cognitione illorum, quæ Pater in illo vt in Verbo cognoſcit; iam autem Pater in Verbo cognoſcit omnia; ideoque Verbum debet eſſe Expreſſum à Patre ſecundùm omnia, ſine aliqua reſtrictione ad ſola poſsibilia; nam Expreſſum debet adæquari cum Scientia in Repræſentando. T.q. A Patre æterno, non prout neceſſariò per ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ poſsibilia attingente, ſed quatenus liberè per ſcientiam Liberam futura cognoſcente, procedit Verbum Diuinum *prout liberè repræſentans futura: partim* q. Verbum prout liberè repræſentans Creaturas futuras, eſt propriè illarum Verbum; iam autem Verbū repræſentatiuum debet ab alio procedere; vel ex ſpecie impreſſa vel ex cognitione ſui Obiecti: *partim* q. Verbum non à ſe, ſed à Patre: non ex vi Proceſsionis, ſed per Proceſsionem, habet ſibi liberam repræſentationem, perſeitate ſecundariâ communicatam, *Formaliter*, nō verò *Radicaliter:* ſicut eâdem perſeitate habet ſibi communicatam formaliter Repræſentationem poſsibilium - *partim* quia repræſentando futura, eſt Terminus Locutionis Paternæ. T. Quia Verbum Diuinum ex illa cognitione per ſe procedit futurorū, quâ non exiſtente, Verbum Diuinum non repræſentaret futura; iā autem, ſi Pater non cognoſceret Creaturas futuras, non procederet Verbum illas defacto repræſentans.

T.q. Pater Æternus quatenus cognoſcit futura, eſt productiuus Ver-

ius Verbi: *partim* q. ſicut creatum ita & Diuinum intellectum, non ſolùm Poſsibilis, ſed etiam futuræ vel præſentis rei, ſpecies impreſſa fæcundat: & ex vtraque intellectus Patris fit fæcundus: *partim* q. Proceſsio Verbi Diuini non eſt adæquatè neceſſaria: *tum* q. in Verbo D. datur & Entitas, & Conceptus Liberæ Terminationis, ideoque Productio adæquatè terminatur ad Eſſe: & hoc Eſſe, non explicitè ſed implicitè clauditur in conceptu liberæ Terminationis: vnde Proceſsio prout terminatur ad Verbum Diuinum ſub conceptu Entitatis, & ſub conceptu Repræſentationis Poſsibilium, eſt *neceßaria*; iam verò prout terminatur ad illud, ſub conceptu Liberæ Terminationis, eſt *libera*; proindeq; Cognitio tam Neceſſaria quàm Libera, vtraq; in ſua linea eſt Verbi Diuini productiua; *tum* q. Generatio ideo adæquatè eſt neceſſaria, quia eſt productiua Filij & Naturæ Diuinæ communicatiua; conſequenter reſpectiuè ad Patrem neceſſariò ſe habet Filius, per generationem neceſſariam productus: iam uerò Verbum quia præter rationem *Dicti*, importat rationem *Manifeſtatiui*; ideoq; vt manifeſtat neceſſaria, *ſic neceßariò*, vt libera, *ſic libere* procedit: Et quidem Verbum, ad Perſonas & Eſſentialia, habet rationem *Manifeſtatiui*; ad Creaturas verò & *Manifeſtatiui & Operatiui*: *tum* q. ſicut ſcientia neceſſaria Poſsibilium eſt fæcunda *vt Quo*, quia non ſupponit Verbum Productum: ita ſcientia Viſionis eſt fæcunda, *vt Quo*, quia etiam non ſupponit Verbum Productum *quoad Repræſentationem Liberam*; licet ſupponat Productum *quoad Entitatem Neceßariam*; ſicut v. g. iuxta Suarem, Verbum Diuinum procedit ex cognitione Eſſentiæ quatenus ipſam repræſentat, & tamen adhuc poteſt procedere ex cognitione Poſsibilium quatenus eſt repræſentatiuum illarum: ita pariter nos diſcurrimus in præſenti: *tum* q. Verbum Diuinum audit à Patre, ne dum Poſsibiles ſed etiam futuras creaturas: iam autem Pater ne loquatur ignoranter, debet obiecta quæ loquitur præcognoſcere, & iuxta qualitatem illorum, Terminum & Verbum producere: *tum* q. ſicut Actus liber ſine inconuenienti penes intrinſecam terminationem potuit Deo non conuenire ſine eius mutabilitate: ita Verbũ Diuinum ſub conceptu Repræſentationis & Terminationis liberæ intrinſecæ, poterat non cognoſci nec produci, ſine mutabilitate; attamen defacto cùm ex cognitione futurorum quoad repræſentationem procedat, defacto cognitionem Paternam liberam terminat; *tum* q. Ex tali productione libera inadæquatè ſumptà non ſequitur dari in Deo Liberam ſubſiſtentiam; quæ eſſet Perſonalitas: datur tamen aliqua formalitas ſubſiſtens quæ potuit non ſubſiſtere in Deo: & talis eſt ipſa intrinſeca terminatio actûs liberi Dei, & libera terminatio Verbi Diuini ad futura quæ defacto repræſentat; ideoque

ad talem terminationem Productio terminatur, non *vt Quod* sed *vt Quo*, & terminus *Qui* liberè productus, est Verbum, secundùm, quòd in illa subsistit; Et sicut productione necessariâ, non solùm, producitur Concretum subsistens .f. Verbum, sed etiam ipsa subsistentia; *ita è contra* Productione liberâ licet producatur Concretum subsistens quoad Repræsentationem liberam, non tamen producitur subsistentia libera, quia sufficit quod subsistentia Necessariò producta, veluti extendatur ad terminandam formalitatem liberam, quâ Verbum repræsentat futura.

T. q. Scientia libera prius Origine Patri conuenit, vt Verbũ Diuinum sub formalitate Repræsentationis liberæ ex illa procedat: *partim* quia Decretum liberum fundans scientiam liberam conuenit Personis Diuinis eâdem prioritate solùm *In Quo*, & æqualiter, vt patet in alijs Attributis: non tamen prioritate *A Quo*, quia per priùs vni quàm alteri conuenit, *partim* quia quoad formalitates *Necessarias* Productio Verbi, est prior Decreto & scientiâ visionis: sed quoad *Liberas*, est posterior: vnde scientia visionis & Decretum, est posterius Verbi productione quoad Entitatem sumpto: est verò prius quoad liberam terminationem consideratо: *partim* quia pro priori *A Quo* Originis, Pater cognoscit Decretum, & scientiam Filij liberam, ac Spiritûs Sancti, in se existentem: & hoc Decretum prout in Patre, est infallibiliter connexum cum seipso, vt Filio & Spiritui Sancto, communicato, ideoq; pro illo priori Decretum, *prout ab illis* potest cognosci, & in illo sic cognito cognoscuntur futura; *è contra* pro priori Essentialium non cognoscuntur Decreta, quia in hac prioritate nil datur ineffallibiliter connexum cum Decreto; *partim* q. Prioritas *A Quo* Originis, seu Communicationis, Decreti, est Patris prioritas in decernendo: ideoq; pro tali prioritate Originis, Filio & Spiritui Sancto Decretum non est liberum. Quia tamen Decretum prout in Patre, est ineffallibiliter connexum in seipso, vt à Filio & Spiritu Sancto, pro alijs signis Originis, ideoque Prioritas Originis libertatem Decreti non tollit sed infert: idẽ patet in suppositione Antecedente Auxilij Efficacis, & Præcepti Christo impositi, libertatem inferente in actu: nam sola suppositio Antecedens non connotans libertatem destruit illam: Vnde Exercitium libertatis Patri à se & priùs Origine conuenit Patri, & in sequenti signo, Personis Diuinis à Patre vt à Principio procedentibus.

T. q. Etiam Spiritus Sanctus procedit ex Amore futurorum, secundùm liberas eorum formalitates: *partim* quia sicut Verbum non procedit ex scientia libera nisi prout in Patre, ita Spiritus Sanctus procedit ex Amore libero prout in Patre & Filio, sibi per Proces-

sionem

ſionem communicato: *partim* quia ſicut ex prioritate Intellectionis neceſſariæ, præcedentis volitionem neceſſariam, habetur priùs Verbum procedere quàm Spiritum Sanctum in linea neceſſaria: *ita è contra*, in linea liberorum (in qua priùs eſt Decretum quàm Scientia Viſionis, quæ innititur Decreto) non habetur nec ſequitur Spiritum Sanctum, ſecundùm liberam terminationem priùs quàm Verbum ſecundum liberam proceſsionem procedere: nam Decretum liberũ tantum prout eſt in Patre, eſt prius Scientiâ Viſionis, non tamen prout eſt in Patre & Filio, vnde Verbum procedit ex ſcientia libera prout tantum eſt in Patre, & Spiritus Sanctus procedit ex Amore libero prout in Patre & Filio. Ideoq; Scientia libera quâ Pater intuetur futura innitur Decreto, tanquam Obiecto Motiuo: prout eſt in Patre: & prout Decretum eſt in tribus Perſonis, innititur eidem tanquã Terminatiuo.

IMAGO in Diuinis dicitur perſonaliter tantùm: 2. Verè & propriè Secũdæ Sanctiſsimæ TRINITATIS Perſonæ: 3. Soli .ſ. Filio & non Spiritui Sancto conueniens. *Ratio primi.* Quia Eſſentia Diuina non eſt ab alio expreſſa ac producta ſed communicata propter infinitatem; iam autem De ratione imaginis eſt eſſe ab alio expreſſam *vel* ſub modo naturali & Entitatiuo; & talis eſt Imago Naturalis ſecundũ ſimilitudinẽ in ſpecie: vt patet in Filio reſpectu Patris. *vel* ſub modo eſſendi intelligibili: & talis eſt Imago Intentionalis, importans ſimilitudinem in ſpeciei ſigno, & in ipſa ſpecie intelligibiliter. *vel* ſub modo eſſendi Artificiali: & talis eſt Imago Artificialis importans ſimilitudinem in ſigno ſpeciei: vt patet in ſtatua Diui Petri quæ tantùm in qualitate quoad formam & figuram extrinſecam conuenit cum ſuo prototypo: hinc in creatis Imago importat aliquid abſolutùm .ſ. Qualitatem, ratione cuius vt pote limitatæ imago diſtinguitur à ſuo Prototypo.

Ratio ſecundi. Quia ſecunda Sanctiſsimæ Trinitatis Perſona, eſt Filius cui Naturalis; & Verbũ cui Intentionalis, Imaginis ratio cõpetit. T.q. Non ſolùm Attributorum per modum Qualitatis ſignificatorum, ſed etiam ipſiuſmet Naturæ ſecundùm ſpeciem, imo & ſecundùm vnitatem in numero, perfectiſsimam in ſe habet ſimilitudinem. Vnde iſta Imago ad differentiam creatarum, eſt *vera* quia indeficienter repræſentat: eſt *vita* quia vitaliter procedit: *Verbum* quia ad intra dicitur: *Virtus* quia omnia per ipſum facta ſunt: *Species* ſeu Pulchritudo, quia ſimilitudinem ex Natura, proportionem & conuenientiam ex Imagine, lucem & ſplendorem ex Verbo habet.

Ratio tertij. Quia de ratione Amoris non eſt ſimilitudo: vnde Spiritus Sanctus eſt ſimilis in natura per Proceſsionem Identicè, non

verò ex vi Procesſionis, ſicut Filius qui eſt Verbum de cuius ratione eſt ſimilitudo ſpeciei ad id à quo procedit.

XIX. SPIRITVS SANCTVS procedit à Patre & Filio: 2. & ſi non procederet à Filio non diſtingueretur ab illo realiter: 3. petitq; per ſe ratione ſuæ proprietatis perſonalis Paternitatem & Filiationem in Principio ſpirante: 4. cuius eſſentiale complementum à Principio Quo connotatum eſt Relatio communis Spiratoris: 5. ipſa autem Paternitas & Filiatio ſolùm requiruntur tanquam conditiones producentium *vt Quod*: 6. hincq; Pater & Filius propriè ſunt & dicuntur vnum Principium Spiritûs Sancti: 7. proprièq; Pater & Filius ſe diligunt Spiritu Sancto.

Primum punctum eſt de fide. Ioan. 15 Cùm venerit Paracletus quem ego mittam Vobis à Patre. & 16. Ille me clarificabit quia de meo accipiet & annunciabit vobis. Hinc Spiritus Sanctus dicitur accipere à Filio ſcientiam, quæ eſt Eſſentia Diuina: opponiturq; Relatiuè ad ſpirantem Filium: habentem ſpirationem Actiuam ſibi à Patre communicatã ad producendum Spiritum S. de quo dicitur in futuro, *De meo accipiet*: quia Æterna, comprehendunt omne tempus, ideoque in præſenti, præterito & futuro benè enunciantur.

Ratio ſecundi. Quia in Perſonis Diuinis iuxta Concil: Tolet: *Hoc ſolùm numerum inſinuat quod ad* INVICEM *ſunt, & in hoc numero carent, quòd* AD SE, *non ſunt.* Item iuxta Florent: Seſs. 18. *Nulla alia ratio diſtinctionis aut diſcriminis eſt in Diuinis niſi per hoc quòd Perſona aliqua eſt* AB ALTERA: Quæ teſtimonia verificantur propriè non ſolùm prout Relatio ſub munere formæ Hypoſtaticæ eſt conſtitutiua Perſonæ, ſed etiam prout ſub munere Referentis, eſt alteri oppoſita, Lij *Ad inuicem* id manifeſtè exprimente. Eædemq; Authoritates concludunt, non tantùm *De facto*, verùm quoq; in Hypotheſi; *partim* quia eo ipſo quòd de facto à Relatione relatiuè oppoſita & fundata in Origine, tanquam à ratione formali, proueniat diſtinctio Realis inter Filium & Spiritum Sanctum; *euidenter infertur*, quòd ablatâ Proceſsione in quacunq; Hypotheſi, non poteſt inter vtrumq; remanere Diſtinctio Realis: ſicut ablatâ rationalitare tanquam ratione formali, tribuente homini diſtinctionem à bruto, non poteſt in quacunque Hypotheſi ſtare diſtinctio formalis inter hominem & brutum: *partim* quia in Diuinis Quicquid eſt poſsibile, de facto eſt, & quicquid de facto non eſt, omnino eſt impoſsibile. Ergo quia de facto non datur diſtinctio in Diuinis, niſi ratione Oppoſitionis Relatiuæ fundatæ in origine, ideo eſt omnino impoſsibilis diſtinctio cauſata, ex Relatione non relatiuè oppoſita; conſequenter quæuis ſuppoſitio tollens inter Filium & Spiritum Sanctum Oppoſitionem Relatiuam, in Origine vnius ab alia fundatam, tollit ex conſequẽti

realem

realem vtriusq; distinctionem. Hinc *Nasci, Procedere*, absq; origine vnius ab alio, esse causam realis distinctionis inter Filium & Spiritum Sanctum, asseruit Diuus Anselmus, *de Process: Spiritus Sancti cap. 2.* non ex propria sed ex Græcorum sententia: cùm admittat hoc Axioma. In Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat Oppositio Relationis.

I. T. q. Sola Oppositio Relatiua est propria lineæ Relatiuorũ, non autem Relatio Disparata: *partim* quia Relatio Disparata est cõmunis Absolutis & Relatiuis: *partim* quia Oppositio Disparata cum vno, sine habitudine Principij vel Termini ad illud, iuxta Scotistas, distinguit realiter in Diuinis: Ergo & hoc idem inter modos absolutos præstabit: *partim* quia ista Disparata, in Creaturis tantùm, est sufficiens ad causandam realem distinctionem; non tamen in Deo: quia quælibet perfectio absoluta ratione infinitatis identificat sibi omnes alias perfectiones, *consequenter* sola Relatio Disparata Scotistica, non potest realem distinctionem inducere inter duas relationes: sicut non inducit eandem inter lineam absolutam & Relatiuam, magis inter se oppositas, quã inter se duæ Relationes sint oppositæ.

Iam autem Oppositio Relatiua sola multiplicat Personas; *tum quia.* In Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat oppositio Relationis: t. q. Ex carentia Oppositionis Relatiuæ, Actiua Spiratio non est realiter distincta à Paternitate & Filiatione; *nec etiam Disparatè Relatiuè*: quia iuxta Scotum. Idem agens non repugnat duplici actione [quales sunt Generatio & Spiratio, Actiuæ] duos terminos producere. Ergo etiam non ideo (sublatâ Origine in hypothesi) Relatio Geniti & Spirati distinguentur realiter disparatè, *vel Quia* repugnat duplici actione adæquatâ eundem produci terminum: Nam, si loquitur de distinctione *virtuali* vtriusq; Processionis, falsum est non posse eundem realiter terminum duplici Processione virtualiter distinctâ procedere; si loquitur de distinctione *reali*, tunc redit difficultas, quomodo differunt realiter, & tamen vna non est ab alia; *vel Quia, Hoc est hoc: & illud. est illud:* Nam, hoc est in Quæstione? & talis causalis responsio, est communissima ad omnes Quæstiones Theologicas, quæ inutilissimæ hâc viâ redderentur. Et *Hoc esse tale vt distinguat realiter*: Et *Illud esse tale vt non distinguat realiter*: *nec* habetur ex Quidditatiua cognitione, quia à viatoribus non cognoscitur Deus Quidditatiuè: *nec* ex Fide, quia hæc docet dari Relationem quæ realiter distinguit Spiratum a Filio: & hæc Relatio realiter à Filio procedit.

2. T. q: In Hypothesi Origo Spiritûs Sancti, & Origo Filij *vel* non different inter se: *partim imò* quia Processiones Diuinæ differunt

penes origines: vnde deſtructo ordine Originis, non manet duplex ſed vna Proceſsio. *vel* non differrent *Realiter*, ſed *Virtualiter* ſolùm ideoq; Origines diſtinguuntur realiter, non per ſola principia formalia: nam Generatio & Spiratio Actiuæ, ex Intellectu & Voluntate ſolùm ſpecificè & virtualiter diſtinguuntur; ſed quia vna Origo ſupponit alteram tanquam Terminum A Quo. *Partim 2dò*, quia in hypotheſi Filius ſupponitur per generationem productus *adæquatè formaliter*: non tamen *adæquatè realiter* .ſ. ſecundùm relationem Spiratoris, in quantùm Filiatio non opponeretur relatiuè Spiritui Sancto; non quidem *Formaliter*, quia ipſum non refert ad Spiritum Sanctum, ſed tantùm *Radicaliter* ſeu connexiuè, quia radicat Relationem Spiratoris referentem formaliter ac etiam *Subſtractiuè* quia conſtituit ſubſtractum referendum *vt Quod*, per relationem ſpiratoris ad Spiritum Sanctum.

Eſſentia Diuina, eſt communis radix, aſt Filiatio eſt peculiaris radix, Relationis ſpiratoris, ideoq; Filiatio, non verò Eſſentia, eſt ſufficiens ad diſtinguendum realiter, Filium à Spiritu Sancto, vnde Deſtructo, in Filio quòd non ſit radix ſpirationis Actiuæ, deſtruitur & Filiatio, *Realiter*, non tamen per intellectum; ſicut, deſtructâ in homine Rationalitate, manet Animalitas per rationem: & tamen Mediatè & realiter deſtruitur Animalitas, ob ſummam realem identitatem cum Rationalitate; ita in hypotheſi, per rationem, deſtruitur *eſſe Radicem Spiritûs Sancti*, & tamen mediatè & realiter tollitur Filiatio adæquatè, cùm etiam Filiatio ſub conceptu formæ Hypoſtaticæ, habeat connexionem tam cum conceptu explicito referendi ad Patrem, quàm cum conceptu Spiratoris tanquam radix illius, inter quos conceptus eſt ſolùm inadæquata diſtinctio virtualis *Partim 3tiò* quia Proceſsio per voluntatem accepta, *Adæquatè* prout .ſ. dicit Principium Quo, [Voluntatem] & Principium Quod [Patrem & Filium] petit eſſentialiter pro Termino proprietatem conſtituentem Perſonam, *Inadæquatè* ſumpta prout dicit Principium Quo, petit pro termino Impulſum ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ abſolutâ; in hypotheſi autem quia non remanet adæquatum Principium *Quod*, ideo nec remanet exigentia termini conſtituentis Perſonam, ſed aduenientis Perſonæ conſtitutæ.

3. T. q. Si Spiritus Sanctus procederet à Filio, & non à Patre: in hac hypotheſi, ſicut procederet mediatè à Patre, ita mediatè diſtingueretur ab illo, & relatiuè illi Relatione mediatâ opponeretur; etenim ſtat aliquid diſtingui ab altero mediatè *Extrinſecè*, licet non *Intrinſecè*: vnde in caſu, Spiritus Sanctus per Relationem ſpirati Intrinſecè diſtingueretur: & Extrinſecè à Patre & Filio tanquam ab extremis concurrentibus, ad dandam diſtinctionem, vt forma Extrinſe-

trinſe-

trinseca ; iam autem in nostra hypothesi, si Spiritus Sanctus à filio non procederet, nec mediatâ nec immediatâ Relatiuâ oppositione distingueretur à Spiritu Sancto.

Ratio tertij. Quia Spiritus Sanctus procedit vt Amor vnitiuus duorum ; iam autem spiratio Actiua petit tum virtutem adæquatam in Principio *vt Quod* spirante ; tum omnem conditionem à Termino producto requisitam, quæ est pluralitas suppositorum : *partim* quia Spiritus Sanctus petit ratione suæ proprietatis Personalis distingui realiter à Patre & Filio, secundùm quòd sunt plures, Paternitate & Filiatione : quæ Distinctio in Procesſione fundatur : *partim* quia Filius distinguitur Filiatione à Spiritu Sancto, eò quòd terminet Relationem spirati ab intrinseco, non *vt Ratione Formali*, sed *vt conditione* constituente substractum terminans *vt Quod : partim* quia spiratio Actiua, est ratio formalis terminandi Procesſionem Spiritûs S. & *vt Quo :* iam autem supposita duo, sunt ipsam terminantia *vt Quod*, & vt Quod producentia Spiritum S. consequenter Relatio Spirati adæquans *in referendo* vim terminatiuam, ipsamq; Actionem spiratiuam Relationis spiratoris, petit ab intrinseco ad duo supposita terminari. 2. T. q. Spiritus Sanctus petit per se procedere vt Terminus mutui Amoris, Amicabilis, dualitatem Personarum requirentis, perfectisſimi ac reciproci ; consequenter quia in Diuinis nequit esse distinctio in Amore ; ideo debet esse in suppositis. 3. T. q. ipsa ratio mutui Amoris etsi nullam addat perfectionem ad Amorem Diuinum, addit tamen complementum Amoris essentialis : consequenter Spiritus Sanctus ex mutuo Amore vt completo procedere debet. *Sic* videntes essentiam Diuinam sine Personis, non essent Beati, quia de ratione beatitudinis est terminari ad perfectiones Diuinas, & ad omnes modos illius. *Vel dicendum prout supra dictum est, in hoc manip. oct. Conci. 9.* Relationes non addere perfectionem *Entitatiuè*, sed tantùm *Explicatiuè* 4. T. q. Si per imposſibile Pater maneret sine Filio, adhuc posset producere Spiritum Sanctum : non secundùm *adæquatam* rationem quam de facto habet : sed tantùm *inadæquatam*, quatenus in hac hypothesi imposſibili, Spiritus Sanctus procederet ex Mutuo Amore, Patris Principiatiuè seu *Subiectiuè*, & Spiritûs Sancti *Obiectiuè* ; consequenter esset Terminus mutui Amoris inadæquatè. Iam autem Mutuus Amor adæquatè, debet egredi ab vno subiectiuè, & ad alterum terminari, non vt ad purum terminum, sed vt ad Redamantem, ad quod requiritur, quòd ab altero *Subiectiuè* egrediatur Redamatio : in casu autem hypothesis, Redamatio à Spiritu Sancto, esset solùm *Obiectiuè*.

Ratio quarti. Quia propter Relationem communem Spiratoris, Pa-

ris, Pater & Filius sunt vnum Principium *Relatiuè* & propter vnitatem virtutis spiratiuæ, sunt vnum Principium *Originatiuè*. 2. T. q. Principii spiratiui connotatum completiuum est illud, cui Voluntas Diuina fæcunda, immediatiùs coniungitur, tanquam *Respicienti* Impulsum sub ratione Producti; & talis est Relatio Spiratoris [quæ non est Personalis;] non autem Paternitas & Filiatio. 3. T. q. Idem est immediatum principium productionis per Voluntatem: quod est principium productionis per intellectum: immediatione excludente Medium *Quod* producens; non tamen immediatione excludente Medium *Quo* formaliter; aut Completiuè; ideoque Pater idem, qui intelligit, immediatè per Voluntatem spirat, prout constitutus Paternitate tanquam formâ hypostaticâ, & tamen non Paternitas, sed Relatio communis Spiratoris est connotatum & Medium completiuum Principii spiratiui: 4. T. q. vt Principii Quò spiratiui complementum & connotatum essentiale sit Relatio Spiratoris, sufficit quòd Relatio Spiratoris, sub vna formalitate .s. in ratione Principij *A Quo* Originis, præcedat spirationem Notionalem; non autem sub formalitate *vt est constitutiua Persona* quia hoc solùm competit Proprietati Personali: Proprietati verò non Personali [qualis est Relatio Spiratoris] non competit. *Et vlterius* Relatio spiratoris conuenit Patri pro priori Originis ad Filium: & solùm sunt simul simultate *In Quo* & naturæ: non tamen *A Quo* Originis: nam spiratio Actiua conuenit Patri *A se*, & Filio *à Patre*: & tamen inter ipsos stà simultas *In Quo* in spirado.

Ratio quinti. Quia Paternitas & Filiatio non sunt proprietates communes. Vnde Paternitas & Filiatio nec etiam sub ratione communi Personalitatis Nonspiratæ, possunt esse connotatum completiuum Principii Quo Spiratiui: *partim* quia connotatum cōplens vim spiratiuam, debet esse vna numero proprietas Patris & Filij; iam autem Personalitas Nonspirata, non est vna numero: *partim*, quia à Spiritu Sancto per se postulatur, vt vis spiratiua habeat pro connotato Paternitatem & Filiationem prout inter se distinguuntur copulatiuè, Ergo non prout conueniunt in ratione Personalitatis Nonspiratæ. 2. T. q. Pater & Filius non respiciunt Spiritum Sanctum Paternitate & Filiatione; consequenter non sunt complementum spiratiuæ virtutis, sed tantùm conditiones producentium *vt Quod. Insuper.* Spiritus Sanctus non respicitur à Paternitate & Filiatione vt Terminus Productus: nam Paternitas adæquatur cum Filio, & vt *Corellatiuo* & vt *Producto*; ideoq; Paternitas Spiritum Sanctum nec vt Corellatiuum, nec vt Productum respicere potest. Et idem de filiatione. 3. T. q. Amor Amicabilis petit per

tit per se Paternitatem & Filiationem, non vt complementum sed vt conditiones in Principiis *vt Quod* producentibus.

Ratio sexti. Quia id cum proprietate sermonis affirmat Concil: Lugdun: in cap. Fidei in 6. illis verbis: *Fideli ac deuotâ professione profitemur quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre & Filio non tanquam ex principiis sed tanquam ex vno Principio non duabus Spirationibus sed vnicâ Spiratione procedit.* Et Ly *tanquam* sumitur, non diminutiuè sed propriè: sicut etiam Ioan: primo: Ly *Quasi* accipitur propriè. *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre* 2. T. q. Ob Vnitatem Virtutis Spiratiuæ, Pater & Filius sunt Spiritûs Sancti Vnum Principium; quia Ad pluralitatem nominis substantiui debet tam forma quàm supposita multiplicari; *è contra*: Ad Vnitatem eiusdem Nominis substantiui, ex communi modo loquendi sufficit vnitas, *vel* formæ *vel* suppositi, sic dicitur, vnus Artifex ex vnitate suppositi, etsi plures habeat artes. 3. T. q. Ly *Principium* in præsenti, non potest immediatè & determinatè supponere pro Spiratore Communi *vt Quod*, in Natura & Voluntate Diuina subsistente, & in Relatione Spiratoris consistente; 1. *partim* nam ideo in ista: *Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt vnus Deus*: prædicatum supponit determinatè, quia datur *Hic Deus* subsistens communis tribus Personis; Ergo quia in ista; *Pater & Filius sunt Spiritûs Sancti vnum Principium*; prædicatum supponeret determinatè, ideo daretur *Hic Spirator* Communis. 2. *partim* quia Relatio Spiratoris nec dicit subsistentiam *Independentiæ*: quia hanc dat subsistentia Absoluta, nec *Incommunicabilitatis*: quia alias Personam constitueret. 3. *partim* nã Creatio quia est non Personalis sed Naturæ actio, ideo petit subsistens *vt Quod* Commune tribus Personis; iam autem, Spiratio est Personalis - ideoq; à subsistente Communi NonPersonali, tanquam à Principio *Quod* Spirante prouenire nequit. 4. *Partim* quia Pater ratione sui spirat immediatè *vt Quod* per exclusionem medij vt Quod spirantis, siuè realiter siuè ratione distincti. 5. *partim* quia Ly *Principium Spiritûs Sancti*, supponit pro Patre & Filio Confusè Collectiuè, non collectione rigorosâ dicente solam pluralitatem: sed non rigorosâ, admittente vnitatem; iam verò In prædicatione sensiua supponit pro subsistente in virtute spiratiua vtriq; communi: communitate *reali* ex parte virtutis; & communitate *rationis* ex parte subsistentiæ: vt patet ex exemplo Patris & Matris in creatis. 4. T. q. iuxta probabilem sententiam Affirmatâ vnicâ Humanitate assumptâ de tribus Personis, ideo dicerentur probabiliter plures homines: quia *Homo* sumitur & Connotatiuè & Adiectiuè, nec Humanitas realiter identificatur cum Verbo; iam autem Negatâ subsistẽtiâ Communis Spiratoris *vt Quod*, non potest probabiliter sustineri

Patrem & Filium eſſe duo Principia: quia *Principium* dictum de Patre & Filio, eſt ſubſtantiuè cum illis & realiter identificatum: ſicut & *Deus* ratione cuius non poſſunt dici *Tres Dij* etiam negatâ ſubſiſtentiâ Abſolutâ. Attamen ſtante vnitate Principij, Pater & Filius ſunt plures ſpiratores *Adiectiuè*: ſicut & plures ſpirantes: aſt *ſubſtantiuè* vnus ſpirans & ſpirator, ſicut vnum Principium: hoc certitudine Fidei, & primum certitudine ſcholaſticâ.

Ratio ſeptimi, deſumitur ex illa Maxima DS. hic Q. 38. A. 2. ad 2. allegata, quæ eſt talis. Quando in intellectu [id eſt in conceptu] alicuius actionis, determinatus importatur effectus, [vel Terminus] tunc poteſt denominari Principium tam ab Actione, quàm ab Effectu vel Termino; iam autem. Quando in ratione non includitur determinatus effectus, tunc non poteſt Principium actionis denominari ab effectu, vel Termino ſed ſolùm ab actione. Quã Maximam vt intelligerem.

Noto primò. Quod Actio, prout aliquo nomine aut Verbo ſignificatur, poteſt conſiderari dupliciter; *vel abſolutè*, dum ſumitur ex parte rei ſignificatæ: *vel ſignificatiuè* dum ex parte modi ſignificandi nomine aut Verbo actionem importante denotatur & exprimitur: etenim Multa ſunt verba & Nomina eandem rem, non tamen eodem modo ſignificantia. v. g. Charum habeo, Diligo, Amo: Charitas, Dilectio, Amor: ex parte rei ſignificatæ idem ſunt: & tamen ex parte modi ſignificandi, diſtinguuntur: nam nomen *Charitas* impoſitum eſt ad ſignificandum Principium dilectionis; *Dilectio* ad ſignificandam internam actionem à Charitate tanquam à principio procedentem: *Amor*, ad ſignificandum Terminum dilectionis, prout formaliter fit & producitur per intellectionem. Axioma Doctoris Sancti, in ſecunda acceptione eſt intelligendum.

Noto ſecundò. Quòd Actio in ſuo conceptu claudit & importat determinatum effectum aut terminum dupliciter: *Primò* prout ſolùm Terminus vel effectus eſt ſpecificans & determinans qualitatem Actionis. v. g. In his: *Ignis eſt calefaciens calore: Petrus eſt dealbans albedine*: denotatur quòd Calor claudatur in actione calefactiua, tanquam Terminus determinatus ſpecificans calefactionẽ; ſicut & albedo dealbationẽ. *Secundò* Actio in ſuo cõceptu claudit & importat determinatum effectum vel Terminũ, prout Terminus eſt coniunctus ſuæ Actioni, ſicut productum ſuæ productioni; iam autem Actio tunc dicitur in ſuo conceptu claudere ſeu ſignificare ſuum effectum aut Terminum ſibi coniunctum, tanquam productum ſuæ productioni, quando in ſignificatione verbi, denotantis actionem, clauditur ipſe Terminus prout per actionem Verbo ſignificatam productus. v. g. Ly *Dico*: ſignificat Actionem quâ aliquis

quis

quis loquitur, & significando actionem locutiuam, simul etiam significat *Ipsum Verbum* tanquam per actionem locutiuam productũ: vnde quod significatur per has voces: *Profero Verbum*: hoc totum significatur ista vnicâ voce *Dico:* nam Dicere, est Verbum producere. Axioma DS. secundo modo intelligitur, in quo importatur habitudo producentis ad productum, tam specificatiuè quàm coniunctim significatiuè.

Noto tertiò. Quòd Verba quæ in suæ actionis conceptu important determinatum effectum aut terminum, solùm *specificatiuè*, dignoscuntur ab alijs Verbis determinatum terminum, non solùm specificatiuè sed etiam significatiuè importantibus: per hoc. Quod verba secundi generis si in casu Accusatiuo construantur transitiuè cum aliquo, tunc non important habitudinem producentis ad productum. v. g. in hac: *Socrates dicit Historiam Troiæ*. Ly *Dicit*, ex se claudat in suo conceptu productionem Verbi, & Dictio dicit habitudinem producentis ad verbum productum. Verùm quia in allegata Propositione, Ly *Dicit* construitur transitiuè cum Accusatiuo, id est Ly *Dicit*, transit à productione Verbi, ad Historiam, non Sacratis ipsius, sed aliorum actus & gẽsta recensentem, ideo Ly *Dicit* sic sumptum transitiuè, cognoscitur quòd secundùm se, & intransitiuè, acceptum in suo conceptu importet determinatum terminum tam specificatiuè quàm significatiuè. Iam autem, verba primi generis constructa in casu Accusatiuo transitiuè semper important habitudinem producentis ad productum. v. g. in hac. Socrates ædificat domum: Nauim, Arcem: &c. Deinde in primis, determinatur habitudo producentis ad productum ex adiuncto: v. g. Socrates ædificat nauim. Ly *ædificat* significat habitudinem productionis seu ædificationis ad ædificatum, non quodcunq; sed ad nauim. Iam autem in secundis, habitudo semper manet immutata quoad terminum coniunctim significatiuè importatum: vt explicuimus iam, in Notando secundo.

Noto quartò. Quod Verba in suo conceptu tam specificatiuè quàm significatiuè claudentia determinatum effectum prout suæ productioni coniunctum *vel* construuntur transitiuè cum obiecto vt termino transitûs in Accusatiuo, & cum effectu vt denominante v. g. dicendo: *Socrates dicit Historiam Verbo:* Ly *Dicit*, transit ad Historiam tanquam ad obiectum & terminum transitionis, & Ly *Verbo*, in ablatiuo importatum denotat terminum vel effectum productum, prout significatur in ratione formæ denominantis. Principium. i. Socratem à quo producitur. *Vel secundò* construuntur *Conuersiuè* quando obiectum actus potest esse ipsum Agens v. g. *Socrates dicit seipsum verbo:* Ly Dicit, non importat habitudinem

producentis ad rem dictam mediante Accuſatiuo, ſed tantùm habitudinem dicentis ad rem dictam.

Noto quintò. Quod Principium denominatur per id, quod ab ipſo procedit: & iſta denominatio ſolet fieri in caſu ablatiuo: iam autem Caſus ablatiuus poteſt conſtrui *Primò*, in habitudine Principii vel Cauſæ Efficientis vt Quo. v. g. Homo eſt intelligens intellectu: Ignis eſt calefaciens calefactione. *Secundò* in habitudine Cauſæ Efficientis vt Quod v. g. Homo eſt intelligens ſeipſo: Ly *ſeipſo*, denotatur habitudo ſuppoſiti operantis & intelligentis vt Quod. *Tertiò* in habitudine Cauſæ Efficientis mediæ vel quaſi mediæ, quæ deſignatur vt Principium effectiuum, à Primo Principio procedens: v. g. *Verbo Domini cœli firmati ſunt*: Ablatiuus *Verbo* deſignat Verbum Diuinum, quòd à Patre procedit, eſtq; Principium Effectiuum quaſi Medium, firmans cælos, *Quartò* in habitudine Cauſæ formalis, quamuis non ſit forma v. g. Petrus indutus veſtimento. Ly *veſtimento* Ablatiuus conſtruitur in habitudine Cauſæ formalis: quia Omne illud à quo aliquid denominatur, habet habitudinem formæ. *Quintò* in habitudine Cauſæ formalis rigoroſæ v. g. Corpus eſt album albedine *Sextò* in habitudine quaſi effectus ſeu termini [qui largè vocatur effectus] ſubinduentis modum formæ in denominando Principium à quo egreditur. v. g. Arbor eſt florens floribus. Flores non ſunt forma arboris, ſed effectus ab ipſa procedentes, & tamen denominant arborem per modum formæ; ideoq; Ablatiuus *Floribus*, importat effectum clauſum in conceptu *Florere*: nam *Florere*, eſt flores producere; ſumiturq; non grammaticabiliter prout eſt Neutrum quod in Accuſatiuo non cõſtruitur, verùm ex communi vſu loquendi.

Noto ſextò. Quòd Ablatiuus conſtructus cum habitudine cuiuſcunq; Cauſæ Efficientis, aut Principii importat Actionem abſolutè ſumptam; nec ille qui in Caſu Ablatiuo conſtruitur, ſignificatur vt Terminus actione illâ productus v. g. in hac: *Verbo Domini Cœli firmati ſunt.* Ly *Verbo*, ſignificat Cauſam Efficientem cælos firmantem: & ideo Verbum Diuinum in Caſu Ablatiuo conſtructũ, non ſignificatur vt Terminus actione cælos firmante productus; iam verò Quando Ablatiuus importat habitudinem denominantis per modum formæ, cum verè forma non ſit, tunc Terminus debet ſignificari prout per actionem productus; conſequenter Actio debet ſignificari per modum Relatiui, relatione reali. v. g. Arbor eſt florens floribus. Ablatiuus *Floribus* denominat per modum formæ Arborem: & Flores ſunt Terminus per floritionem productus: ipſaque Floritionis actio ſignificatur *per modum Relatiui*, relatione reali quâ tranſit & refertur ad Flores.

Noto

Noto vltimò. Quòd Terminus aut effectus in conceptu Actionis clausus tam specificatiuè quam Coniunctim significatiuè clausus & importatus, tenet se ex parte Actionis tanquam ipsius Complementum, medio quo vlterius ipsa Actio transit ad aliquid vt ad materiam vel ad obiectum. v.g. *Ignis est calefaciens calore lignum.* Calor, est Terminus & complementum calefactionis, importatus & clausus in hoc vnico verbo *Calefacio* significante tam actionem calefactionis, quàm ipsum simul calorem ; ideoq; calefactionis Actio mediante calore producto transit vlterius ad subiectum calefactibile. Et quia Actio calefaciendi medio calore producto, attingit subiectum calefactibile, ideo etiam cum proprietate dicitur : Ignis est calefaciens lignum Calore tam illo qui se tenet ex parte principii, quàm illo qui se tenet ex parte subiecti. Igitur iuxta præmissa Notanda.

Ista Verba : *Intelligo, Dico, Genero,* ad intellectum pertinentia ex parte rei significatæ, eandem actionem important absolutè : sed non eodem modo : nam in Diuinis *Intelligere* significat Intellectionem solùm essentialiter sumptam : *Dicere* significat & id quod notionale est, .s. Actiuam Verbi Diuini Processionem ; & id quod est essentiale .s. Ordinem repræsentationis Obiecti medio Verbo : *Generare* significat solam purè actionem notionalem. Similiter ista : *Spiro, Diligo*, eandem absolutè significant actionem Amoris sed nō eodem modo : nam *Spiro* sicut & *Dico*, important actus Notionales tantùm : iam autem *Diligo* & *Genero* important tàm actus Notionales ; quàm Personas procedentes determinatas. Ideoq; sicut ista : *Pater dicit se Verbo:* est vera ; & ista *Pater generat se Verbo*, est falsa, propter diuersum modum significandi ; ita pariter : *Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto* : est vera : & ista, *Pater & Filius spirant se Spiritu Sancto:* est falsa : propter diuersum modum significandi ; iam autem Modus diuersus significandi, sufficit vt vna Propositio sit vera & non alia.

Iuxta secundum notandum. Istæ : *Pater generat Verbo : Pater & Filius Spirant Spiritu Sancto:* sunt falsæ. Quia Verbum in generationis actione in Ly *Generat* significata : & Spiritus Sanctus, in Spirationis actione in Ly *Spirant* importata : includuntur tanquam Termini determinati quoad specificationem solùm. E contra istæ : *Pater dicit se & omnem Creaturam Verbo : Pater & Filius diligunt & se & Nos Spiritu Sancto :* sunt veræ ; quia Verbum & Creaturæ in actione Dictionis per Ly *Dicit* significata : etiam Spiritus Sanctus, & Creaturæ, in actione Dilectionis per Ly *Diligunt* importata ; includuntur tanquam Termini determinati, non solùm quoad specifi-

cationem, ſed etiam quoad coniunctam ſignificationem : penes habitudinem producentis ad productum.

Iuxta tertium & quartum notandum. Iſtæ. *Pater dicit ſe Verbo: Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto:* ſunt veræ. Quia Ly *Dico & Diligo* cùm ſint Verba quæ in ſua actione ſignificata importāt determinatos terminos tam ſpecificatiuè, quàm coniunctim ſignificatiuè; ideo dum conſtruuntur cum Accuſatiuo *Se* tranſitiuè, ſolùm important habitudinem Dicentis ad rem dictam, & Diligentis ad rem dilectam. E contra iſtæ. *Pater generat ſe Verbo: Pater & Filius Spirant ſe Spiritu Sancto:* ſunt falſæ: Quia Ly *Genero & Spiro* dum conſtruuntur cum Accuſatiuo *Se* tranſitiuè, important in ſua actione ſignificata, habitudiuem producentis ad productum.

Iuxta quintum notandum. Primò Iſta: *Filius eſt Sapiens, Sapientiâ Ingenitâ:* eſt vera, quia Ablatiuus importat habitudinem Principii producentis: nam Filius à Patre procedit; & Pater eſt Sapientia Ingenita, à qua Filius Sapientiam eſſentialem accipit. E contra iſta: *Pater eſt Sapiens Sapientiâ Genitâ:* eſt falſa: quia ex parte Ablatiui fit iſte ſenſus, nempe Patrem in ſeipſo eſſe ſapientem, Sapientiâ Genitâ id eſt Filio, quod falſiſsimum eſt, ſiquidem Pater ex ſua Eſſentia & ſuis Attributis habet eſſe Sapientem, non autem à Filio.

Secundò. Iſta. *Spiritus Sanctus diligit ſe Spiritu Sancto aut ſeipſo:* eſt vera; loquendo de dilectione eſſentiali : quia Ablatiuus *Spiritu Sancto* importat habitudinem Principii & ſuppoſiti diligentis *vt Quod,* ſicut enim ſuppoſitum Patris *vt Quod* diligit Spiritum Sanctum, ita Spiritus Sanctus *vt Quod* diligit ſeipſum, dilectione vt operatione eſſentiali; aſt loquendo de dilectione notionali, prællegata Propoſitio eſt falſa: quia ſit ſenſus: *Spiritus Sanctus producendo Spiritum Sanctum, ipſo Spiritu Sancto producto ſeipſum diligit:* quod eſt falſiſsimum: ſicut & iſta: *Arbor eſt producens florem flore.*

Tertiò iſta: *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto:* eſt vera *1mò.* Qùia Ablatiuus *Spiritu Sancto* importat beatitudinem Termini ſubinduentis modum formæ in denominando Principium à quo egreditur, iuxta ſextam acceptionem Ablatiui [nam tertiam quartam & quintam hic non vſurpamus] *2dò.* Quia [iuxta Notandi ſexti ſecundam acceptionem Ablatiui] Spiritus Sanctus ſignificatur prout per actionem dilectionis productus; conſequenter ipſa Dilectio ſignificatur per modum relatiui relatione reali quâ Pater & Filius tranſeunt ad Spiritum Sanctum. *3tiò.* Quia ipſe Spiritus Sanctus tenet ſe ex parte dilectionis tanquam ipſius complementum, medio quo vlterius tanquam pondere & inclinatione, ipſa dilectio tranſit ad Patrem & Filium, non vt producendos, ſed vt Diligendos. Et hæc de iſta Theologicali Grammatica ſufficiant. XX.

XX. CONSTITVTIVVM Personarum Diuinarum sunt Proprietates Personales Relatiuæ: 2. proindeq; Pater constituitur Paternitate: 3. Filius Filiatione. 4. Spiritus Sanctus Amoris mutui terminatione, prout important conceptum Formæ Hypostaticæ ac subsistentis, non verò conceptum formæ Referentis. 5. Ex quibus infertur Personas Diuinas non constitui, Proprietatibus Absolutis. 6. aut Originibus Actiuis vel Passiuis.

Ratio primi. Tum quia iuxta illud Mathæi vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*; Ista tria nomina, *Pater, Filius, Spiritus Sanctus*, sunt Relatiua, explicantia proprietates Relatiuas, per quas prout Incommunicabilitatem tribuentes, Personæ Diuinæ distinguuntur. T. q. Personæ Diuinæ aliquo sui differũt; non verò se totis, ob identitatem in Essentia, iam autem Quæ differunt aliquo sui, habent aliquid sibi proprium quo constituantur & distinguantur. T. q. Idem seipsum intrinsecè non cõstituit: quod .s. est idem, omni Identitatis modo; iam autem *Personalitas*, est idẽ realiter formaliter cum Persona, manente distinctione virtuali. T. q. Constituens *per Compositionem*, est causa constituti: iam autem Personalitas est constituens Personam *per simplicitatem*. Et talis simplicitas, sicut Compositionem, ita excludit & Distinctionem Rationis simpliciter talem, penes excludens & exclusum, non autem penes Implicitum & Explicitum. T. q. Constitutio Personæ ex Personalitate est Constitutio Realis penes Identitatem, non autem Realis formalis penes Compositionem, quæ præter realitatem Constituentis requirit realem distinctionem à Constituto.

Ratio secundi. Quia Paternitas *vt forma Hypostatica est*, distinguit Personam Patris, ab alijs Personis Diuinis, propter Perseitatem Incõmunicabilitatis Primariæ iã autẽ Perseitas Incõmunicabilitatis secundariæ, habetur à Paternitate, vt Relatio est. T. q. Paternitas vt forma Hypostatica est, præcedit generationem hincq; Generatio consistens in actu intelligendi vt modificato Paternitate, non sub conceptu *Referentis* expresso, sed *Respicientis* Filium vt genitum, mediat inter Hypostasim & Paternitatem: licet Aliquid absolutum absolutè sumptum non possit mediare inter ista; sic Gratia vt Auxilians & vt iustificans, eadem est in esse Entis, & tamen inter ista mediat Contritio vltimò disponens ad gratiam: vnde Pater habet Paternitatem per generationem, prout Paternitas dicit Relationem & conceptum AD, non verò conceptum formæ Hypostaticæ & IN: & isti duo conceptus *In & Ad* in Paternitate habent se *connexiuè cõuertibiliter* cum mutua vnius in alio inclusione, & inadæquatâ distinctione: & quod vna præstat *explicitè*, altera idem præstat *implicitè*. *Creata* Paternitas quia est Accidens subsequitur adæquatè generationem,

tionem, *Diuina* quia eſt ſubſtantialis, præcedit ipſam; ideóq; in omni ſigno *In Quo* eſt Pater, intelligitur & Filius: aſt in ſigno *A Quo* Paternitas vt forma Hypoſtatica eſt, habet prioritatem Originis reſpectu Filij: ſunt tamen ſimul naturâ & Cognitione ob Correllationem explicitè ſumptam.

Rationes tertij puncti, deſumendæ ſunt conformiter ex ſecundo puncto & inſuper. Quia producto termino oritur Relatio *Accidentalis* non *Subſtantialis*; conſequenter Filiatio Diuina ſub conceptu Referentis conſequitur ad terminum conſtitutum: & ſub conceptu formæ Hypoſtaticæ ſeu ſubſiſtentis conſtituit primò Filium, in ratione termini. T. q. Ad Relationem non datur per ſe motus: *Accidentalem*, quia per ſe non acquiritur: iam autem ad *Subſtantialem* ſub munere ſubſiſtentis acceptam, datur per ſe motus; hincq; Relatio Filiationis vt importat conceptum *Referentis*, ſupra *eſſe genitum* fundatur, & vt importat conceptum *Subſiſtentis*, eſt ſubiectum denominationis geniti, nec ſupra eſſe genitum fundatur, ſufficitq; diſtinctio virtualis inadæquata inter fundamentum & rem fundatam.

Ratio quarti. omnes præcedentes ſibi vendicat probationes, iuxta conſormitatem, & inſuper. Quia conceptus formæ Hypoſtaticæ ac ſubſiſtentis in Spiritu Sancto eſt, quòd ſit Impulſus ſubſtantialis ſub ratione producti: iam autem conceptus formæ Referentis eſt, quòd ſit Terminus Spiratus correlatiuè vni Spiratori oppoſitus. T. q. Subſiſtere dicitur ad ſe: *Abſolutum* non vero *Relatiuum*; hinc Relatio dat eſſe in ordine ad Terminum, *formalitate rei* ſeu vt ſubſiſtens eſt, tantùm Connexiuè, in quantum imbibit implicitè conceptum A D: iam autem *formalitate Obiecti* ſeu vt Referens eſt, dat eſſe formaliter.

Ratio quinti. Quia Abſoluta non poſſunt dare diſtinctionem Perſonarum ad inuicem. T. q. Perſona Diuina eſt aliquid abſolutū, quoad Perſeitatem *Independentiæ*, non autem *incommunicabilitatis*: prima Perſeitas habetur ab Eſſentia vt incluſa in Relationibus, eſtq; Communicabilis, nec conſtituit ſuppoſitum, altera verò habetur à forma Hypoſtatica & conſtituit ſuppoſitum, de ratione cuius eſt Incommunicabilitas, conſequenter & realis diſtinctio ab alijs.

Ratio ſexti. Quia conſtitutiuum Perſonæ in recto, eſt Reſpectiuum, Diſtinguens, Incommunicabile; iam autem Origo actiua v.g. Generatio in recto eſt aliquid abſolutum .ſ. intellectio Diuina connotando Paternitatem: ſimiliter Paſsiua generatio eſt paſsiuum intelligi vt in Filio, ingrediente filiatione in obliquo. *Secundò* Conſtitutiuum rei permanentis, debet eſſe permanens: non autem vt egrediens vel tendens ad rem conſtituendam; primùm in Deo, formis Hypoſtaticis, iam autem alterum Originibus *formaliter* competit ac ex-

ac explicitè; licet Origines Diuinæ ſint *materialiter* ſubſiſtentes : è contra, Relationes vt important Reſpicientiam Termini, in creatis Inhærentiam,in Diuinis Subſiſtentiam explicant.

XXI. SIMILITVDO Æqualitas 2. & Circuminſeſsio, inter Perſonas Diuinas datur perfectiſsima : 3. nec ſimilitudo aut æqualitas dicunt inter illas, Relationem realem,ſed tantùm rationis. *Ratio primi.* Quia Perſonæ Diuinæ in eadem Diuinitatis forma, ex qua deſumitur ſimilitudo : & in eadem perfectione ac eſſendi magnitudine, ex qua deſumitur æqualitas, perfectiſsimè conueniunt, iuxta illud D. Athan: *Talis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus,* ecce Qualitas. *Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus Sanctus,* ecce Quantitas ac æqualitas. T. q. Inter Perſonas Diuinas. *Prima* eſt Æqualitas in perfectione naturæ; ob illius ſimplicitatem & indiuiſibilitatem ; & licet in Patre ſit à ſe : in Filio vt communicata per generationem : in Spiritu Sancto vt accepta per Spirationem ; hoc tamen non dicit maiorem perfectionem in Patre quàm in Filio, quia tam perfectum eſt *Dare* Diuinitatem, quàm eandem *Accipere*, Generare quàm Generari, Spirare quàm ſpirari : quia iſti modi habendi Diuinam Naturam cùm ſint puri reſpectus ad terminum, nullam addunt perfectionem ad Eſſentiam Diuinam, imo eiuſdem infinitam perfectionem in ſeipſis includunt. *Secunda* eſt Æqualitas in Potentia : quia virtus & Potentia conſequitur naturam : iam autem in Natura Diuina Pater & Filius & Spiritus Sanctus ſunt æqualis ; ideoq; iſta Potentia generatiua, Actualis generatio, ac intellectio *prout in Patre:* Potentia generationis terminatiua, ſeu generabilitas, generari ſeu paſsiuum intelligi, *prout in Filio:* quoad id quod dicunt in recto non diſtinguuntur, ſed ſolùm quoad id quod dicunt in obliquo .ſ. quoad Relationes : vnde quia Generatio actiua non eſt aliqua operatio abſolutè ſumpta, ſed prout modificata Paternitatis relatione, ideo ſecundùm iſtam modificationem non eſt in Filio, eſt tamē in illo ſecundùm actualitatem & operationis perfectionem ac Omnipotentiam. *Tertia eſt* Æqualitas in Duratione, iuxta Symb: D. Athan: *Vnus Æternus*, iam autem Æternitatis vnitas, non patitur inæqualitatem durationis. T. q. Terminus productus, non eſt duratione còexiſtens ſuo principio : *vel* quia Principium eſt debile & imperfectum : *vel* quia eſt Liberum, non ſtatim producens effectum: *vel* quia Actio per quam producitur Terminus, eſt ſucceſsiua ; iam autem Pater æternus ſemper fuit perfectiſsimus ad producendum Filium : & vterq; ad Spirandum Spiritum Sanctum ; & quælibet Perſona procedens, eſt naturaliter ac neceſſariò, non autem liberè procedens : & quælibet eſt procedens per Actionem Æternam haben-

tem existentiæ *In Quo* simultatem, solamq; admittentem *A Quo* prioritatem Originis, sine omni prioritate durationis, & prioritate à quo, realis causalitatis.

Ratio secundi. Quia iuxta illud Ioan. 10. *Pater in me est & ego in Patre:* Sancti Patres affirmant Totum Patrem in Filio & totum Filium in Patre, & totum vtrumq; in Spiritu Sancto. Et hoc tribus modis *Primò* ratione Essentiæ quæ omnibus Personis est communis. *Secundò* ratione Originis; iam autem Origo cùm sit Actio immanens, exigit vt id quod procedit maneat in principio à quo procedit. *Tertiò* ratione Relationis, qua vna Persona ad aliam tanquam ad suum corellatiuum refertur: sumptâ relatione non secundùm Esse, sed secundùm intellectum. Imo, quando Cognitio & Amor sunt in supremo gradu perfectionis, tunc relationes Cognoscentis & cogniti, Amantis & amati, non tantùm simultatem sed etiam vnionem & mutuam cohabitationem ac intraresidentiam per se postulant: hinc Circum in sessio Diuinarum Personarum à Græcis dicitur Perichrisis id est, mutua Vnius Personæ in alia, residentia,

Ratio tertij. Quia fundamentum Æqualitatis Relationis est Magnitudo Essentiæ Diuinæ, quæ est eadem in Personis Diuinis: iam autem ad Relationem realem non solùm distinctio extremorum exigitur, sed etiam fundamentorũ, cùm ad realem relationem exigatur distinctio subiectorum quæ primo referuntur per illam. T. q. Darentur in Deo plures relationes reales quàm quatuor [contra communem Theologorum sensum] quia iuxta Scotum Relationes æqualitatis & similitudinis sunt reales, & à Relationibus Originis formaliter & ex natura rei distinctæ. T. q. Darentur in Deo prædicata realia solo numero distincta: nam Relatio Æqualitatis quâ Pater respicit Fililum, solùm numero distinguitur ab altera relatione æqualitatis, quâ Filius respicit Patrem; iam autem Prædicata realia solo numero distincta in Deo non sunt: *partim* quia distinctio numerica tantùm, desumitur à materia: *partim* quæ solo numero differunt, sunt composita metaphysicè. s. ex actu & potentia. T. q. Verbo Diuino conuenit ex vi Processionis Æqualitas: sumpta fundamentaliter: vt dicit Vnitatem Quantitatis cum negatione excessus: & hanc negabat Arius. Sumpta *Formaliter* dicit Relationem *vel* Realem si adsunt omnes conditiones *vel* Rationis si desunt conditiones: Et hæc non conuenit Verbo Diuino ex vi Processionis. Vnitas Quantitatis est ratio fundandi relationem æqualitatis: & Distinctio est conditio *sine qua non.*

XXII. MISSIO Personarum Diuinarum est Processio Originis à mittente, cum nouo modo existendi in alio: ?. in recto aliquid notio-

notionale, in obliquo aliquid cōmmune connotans: 3. hincq; Pater Æternus à nullo mittitur. 4. Filius à Patre: 5. Spiritus Sanctus ab vtroq;. 6. Semperq; Inuisibilis Misio fit secundùm dona gratiæ & charitatis: 7. ratione cuius Filius & Spiritus Sanctus sunt specialiter quoad substantiam præsentes in anima iusti. *Primum* est definitio Missionis Diuinæ quæ non per Imperium aut Consilium, sed Originem constituitur, non Moralem sed Physicam ac naturalem, absque omni separatione mittentis à mittente, ac Loci mutatione. *Ratio secundi.* Quia Missio essentialiter importat exitum ac processionem à Persona mittente: consequenter in obliquo talis Missio debet connotare aliquid commune .s. effectum temporalem, tanquam terminum *ad quem*: vnde Missio *quoad denominationem*, ex parte termini *ad quem*, consistit principaliter in aliquo essentiali .s. in Actione productiua communi Toti Trinitati effectum temporalem de nouo producente: ast quoad Entitatem denominatam consistit in Origine notionali: penes quam Missio Verbi attenditur secundùm dona gratiæ ad intellectum pertinentia .s. Sapientiam Scientiam Intellectum Consilium; & Missio Spiritûs Sancti attenditur secundùm dona ad Voluntatem spectantia .s. Fortitudinem Pietatem ac Timorem Domini. *Ratio tertij.* Quia Pater à nullo procedit, cùm sit Innàscibilis: Et quia sicut omne mobile reduci debet ad aliquod primum mouens immobile: sic & Omne missum ad primum non missibile. *Ratio quarti.* Quia Filius, per æternam generationem exit à Patre, vt Verbum à mente & splendor à sole. *Ratio quinti.* Quia Spiritus Sanctus ab vtroq; procedit. Dicitur etiam Filius mitti à Spiritu Sancto sed tantùm aliquo modo, .s. ratione effectûs ab eo connotati, inadæquatè tamen. *Ratio sexti.* Quia Missio inuisibilis Personarum Diuinarum fit cum nouo & speciali modo existendi in anima præsentialiter, tanquam cognitum in cognoscēte & amatum in amante; iam autèm hoc fit per gratiam & charitatem, per quam, incompatibiles sumus cum peccato: in templum Dei ædificamur: & circumsessionis Diuinæ amabilissimam experimur præsentiam. T. q. Per Fidem, Spem & alias gratias gratis datas vt pote cum peccato compatibiles, non potest talis *propria* Missio fieri; Per auxilium transiens fit *impropria*: Per Trāsubstātiationem, reductiuè pertinet ad visibilem Christi missionem vt hominis: quoad sumptionem ad inuisibilem; Per Visionem beatificam, sine habitu gratiæ collatam, fieret ad gratiam Sanctificantem eminenter aut æquiualenter. Per Incarnationem verò quoad effectum inuisibilem, sufficit quod gratia substantialis, eminentissimo modo Sanctificans, communicetur. *Ratio septimi.* Quia de ratione amoris

eſt quòd tendat ad Vnionem amantium Ergo amor amicitiæ perfectiſsimus, quo Deus diligit iuſtos, requirit Vnionem non ſolùm, *Communem* quæ eſt præſentia Immenſitatis, aut *Affectiuam* quæ eſt per conformitatem affectuum, aut *Obiectiuam* quæ eſt per cognitionis attingentiam; verùm Perfectiſsimam, ſpecialiſsimam: & talis eſt præſentia Realis ſubſtantialis per quam Deus adeſt animæ iuſtificatæ: ſicut ſpecialiter realiter, Subſtantialiter, adeſt beatis in Patria per gloriam: & in humanitate Chriſti adeſt per Vnionem Hypoſtaticam.

Triplex autem datur in homine Diuinarum Perſonarum Miſsio *Prima fit* in Baptiſmo, vel in prima peccatoris iuſtificatione: tunc enim Perſonæ Diuinæ incipiunt ſpeciali modo præſentes eſſe in anima per gratiam mundata & Sanctificata, & in ea vt in templo ſuo habitare. *Secunda fit* quando homo iuſtificatus, acquirit nouum gratiæ augmentum ſeu cùm de nouo proficit in gratia: ſiue Intenſiuè, perfectiores actus charitatis eliciendo; ſiue Extenſiuè, ad nouum ſtatum aut excellentius munus tranſeundo. v.g. dum in Sacerdotem aut Epiſcopum conſecratur, vel etiam Religioſus efficitur. *Tertia fit* in Beatis, tam in ipſo beatitudinis principio in quo Deus incipit eſſe nouo modo in anima per Vnionem ſuæ Eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis, quàm etiam poſt beatitudinem adeptam, varia chariſmata & nouas reuelationes extra Verbum accipiendo, quia in talium effectuum manifeſtatione ad ſtatum beatitudinis ordinatorum, Deus nouo modo communicatur. Et inter omnes iſtas Miſsiones tam *Generales* quibus Deus exiſtit in rebus per Eſſentiam, Præſentiam & Potentiam, quàm etiam *Speciales* quibus Deus exiſtit in creatura rationali per Gratiam, in beatis per gloriam, in humanitate Chriſti per Vnionem Hypoſtaticam: Miſsio iſta tertia eſt ſuprema & maxima: & poſt hanc immediatè locum obtinet Miſsio, ſecundùm quam Perſonæ Diuinæ quoad Subſtantiam, ſunt in Anima iuſti præſentes: de qua præſentia egregiè D. Auguſtinus ſerm: 185. de tempore. Affuit Spiritus Sanctus in hac die fidelibus, non ſolùm per gratiam Viſitationis & operationis, ſed per ipſam præſentiam maieſtatis: atque in vaſa non iam odor balſami ſed IPSA SVBSTANTIA ſacri defluxit vnguenti. O Miſericordiſsime Domine, cuius præſentiam Immenſitatis ſentio, cuius cognitione Fidei glorior, cuius in affectu conformitatem deſidero, Veni Domine in miſeram animam meam & vlterius Veni, Veni & noli tardare, ô SVPERSVBSTANTIALIS TRINITAS. Amen.

MANI-

~~Fr. Frydrychowicz Dominici~~

~~Sacrosanctum SS. Trinitatis mysterium~~

~~ut supra u. sign. R.~~